





10. 25
DE PERSONA CHRIS-
TI SALVATORIS

Disputatio II.

ADVERSUS APO-

LOGETICVM IOANNIS BVSÆI, IE-
SVITÆ MOGVNTINI: CONTINENS RE-
futationem capitis secundi: In quo doctrinæ Catholicæ de Per-
sona Christi explicationem cum falsò promittit, tum eius
defensionem pessimè per-
tractat.

SCRIPTA A

STEPHANO GERLACHIO, D. ET

*Professore Theologiae in Academia Tu-
bingensi.*



TVBINGAE

Excudebat Georgius Gruppenbachius,

ANNO M. D. XCV.



Antiqua, generosa, & eru-
dita Nobilitate præstantissimis Ado-
lescentibus,

D. VVOLF G A N G O,

D. L V D O V I C O,

D. M A R C O,

D. O T T H O N I,

D. C H R I S T O P H O R O,

H O H E N F E L D E R I S,

A B A I S T E R S H E I M, P E V R B A C H
& Almegg, fratribus Germanis,
Austriacis:

• H O C T E M P O R E I N I N C L Y T A A C A -
demia Tubingensi, pietati, linguis, Philosophiæ,
Iurisprudentiæ & Theologiæ, strenuam ope-
ram, cum laude singulari,
nauantibus:

G R A T A E R E C O R D A T I O N I S
ergò, has Theses dedi-
cauit

Autor.

D E

DE CANVS ET COLLE

GIVM STUDII THEOLOGICI

IN ACADEMIA TV-

BINGENSI,

Pio Lectori S.

DVO SVNT, CANDIDE LECTOR, DE QUI-
bus te in vestibulo huius Disputationis admonen-
dum esse duximus. Vnum est: Cùm fortassè magis
placidam differendi rationem in Theologo requisi-
turus sis, quàm vt toties aduersarium mendacij ar-
guat, & epithetis durioribus notet: scias, Doctori Gerlachio hoc
seuerius loquendi genus, præter rerum grauitatem, ipsam quoq;
Iesuitæ proteruiam extorsisse. Busæus enim scriptum Antagonistæ
(quod Assertionem piæ sanæque doctrinæ de diuina Maiestate
Christi hominis continet) in mendacia & errores peculiaribus
rubricis & titulis distinxit. Ne igitur in aliena versari materia, aut
ea, quorum reus agitur, agnoscere & dissimulare, vel etiam Iesuitæ
linguam non intelligere videretur: eo sermone vt i coactus est,
quem aduersario familiarem esse viderat. Adde, quòd in blasphe-
mos Iesuitarum errores, quibus & Maiestatem Christi Saluato-
ris, & salutis nostræ fundamenta conuellunt, nihil grauitè satis
dici potest. Alterum, quod significandum tibi putauimus, est:
Doctorem Gerlachium, in reliquis contra Busæum explicandis
capitibus, breuiore quidem, non minus tamen, vtili ratione in
disputando vsurū esse. Quia. n. in hac & præcedente Disputatione,
eiusque Apologia, senticetum Iesuitæ penitus succidit: demon-
strans, quàm falsa, futilia, absurda, impia, blasphema & detestan-
da planè sint, quæ Busæus contra luculentam veritatem debla-
terat: tum verò quantam congeriem calumniarum, deprauatio-
num, cauillationum, nugarum, sophismatum, nec non conuicio-
rum & mendaciorum struem accumulè, & in immerentes conij-
ciat: in quibus omnibus recensendis & indicandis, nobilissimi
temporis vsura tam demonstratori Gerlachio quàm Lectori

candido inutiliter periret: Ideoque missis illis, quæ procaciter admiscet Iesuita: porrò tantùm præcipua, quæ ipsa disputatio- num momenta complectuntur (Deo bene iuuante) tractabit. Quo studio & te pium Lectorem contentum iri, & omnem ca- lumniandi ansam, quasi non ad singulas Iesuiticas nugas respo- deri possit, præcisam fore, certò speramus. Tu vale: & hoc la- bore ad gloriam Christi Saluatoris nostri feliciter frueri.

Scriptimus Caluæ, 20. Ianuarij,
Anno, &c. 95.

DE

3.
DE PERSONA SER-
VATORIS
CHRISTI

Disputatio II.

ADVERSUS APOLOGETICVM IOANNIS BVSÆI IESUITÆ,
continens Refutationem capitis
secundi.

Thesis 1.

DOST QUAM DISPUTATIONE PRÆ-
cedente, mendacia & errores capitis primi tam Thesium Iesuiticarum, quàm Apologia earum discussimus: nunc caput secundum Iesuitæ, pari fide & integritate examinabimus.

2. Auspicatur autem hoc, non minùs quàm primum, à mendacio: promittens, se doctrinam Catholicam de Persona Christi in illo explicaturum. Mend. 64.

3. Id verò pessima fide ipsum facere; hac disputatione euincam.

4. Nam initio statim adulterat Confessionem Concilij Chalcedonensis: dum eam additione quadam suæ peruersæ opinioni accommodare studet.

5. Concilium .n. docet: Duas in Christo naturas esse, diuinam & humanam, minimè inter se aut confusas, aut mixtas, sed perfectas, integras, & distinctas: C. Chalced.

6. Huic Confessioni addidit Iesuita in Thesi 10. Perinde ac si in vnâ Verbi personam non conuenissent. Fol. 13.

7. His verbis Iesuita subesse dixi errorem Nestorij & fraudem satanicam, quasi nulla prorsus inter naturas κοινωνία sit: quam tamen Orthodoxi Patres ex S. Scriptura clarissimè tradiderint.

8. Adhæc quid Busæus? nugatur: se multò minus tribuisse conditioni naturarum, quàm innumerabiles Conciliorum patres. Hos enim in publicis fidei Symbolis profiteri: Propter vnionem **MA-** Corruptela
GIS saluas remansisse vtriusq; naturæ proprietates, **QVAM EX-** verborum
Conc. Chalc.
TRA ILLAM.

A 3

9. At

9. At nullum Concilium, à Iesuita pro confirmatione vanitatis allegatum, appendicem illam maiusculis literis expressam, habere: sequentia illorum verba ostendunt.

Decretum
Conc. Chalc.
secundùm ex-
emplar Sam-
buci.

10. Sic enim Synodus Chalced. loquitur: Confitemur vnum & eundem Christum, Filium, Dominum, vnigenitum, ex duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuisè, inseparabiliter cognitum: NE QVA QVA M (*ἡ δὲ μὲν*) naturarum differentia sublata propter vnionem, sed seruata MAGIS (*seu POTIUS μάλλον*) proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam vnamq; hypostasin concurrente.

21. Vbi hic appendix ista Iesuita: QVA M. EXTRA ILLAM?

12. Eadem verba Concilij Chalced. absq; appendice Iesuitica repetijt V. Synodus generalis, Collat. 6. Et Collat. 8. talis declaratio Anathematismi octauæ exstat: Secundum subsistentiam dicentes vnigenitum Deum Verbum carni vnitum esse, non confusionem aliquam naturarum in se inuicem factam esse dicimus: sed magis permanente vtraque hoc quod est, vnitum esse carni Deum Verbum intelligimus.

13. Similiter in Concilio Latera. sub Martino I. cõdemnantur Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus; quod vnacum Arrio & Apollinare, Theodoro & Nestorio, Hæreticis, noluerint confiteri verbo & mente secundùm definitiones S. Conciliorum, (quarti videlicet, & quinti:) vnũ eundemq; Christum, Filium, Dominum, vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, inseparabiliter, indiuisè cognitum, nusquam naturarum differentia interemta propter vnionem, imò magis saluata proprietate vtriusq; naturæ, & in vnam personam vnamq; subsistentiam concurrente.

14. Eadem Confessio Synodi Chalce. de verbo ad verbum exstat in Epist. Agathonis Episcopi Rom. quam in VI. Synodo generali ad Constantinum maiorem Imperatorem, Heraclium & Tiberium, Augustos, scripsit. Item, in sequenti Epistola Agathonis, & sermone Synodi 125. Episcoporum ad Synodum sextam.

15. Quid verò hæc omnia pro confirmatione additionis Iesuiticæ? qua suo heretico Nestorianismo viam sternere voluit. Et quis sanæ mentis non videt in Decreto Concilij Chalc. particulam μάλλον (i. magis, seu potius) per oppositionem respicere vocem præcedentem ἡ δὲ μὲν: quam Græcæ linguæ periti interpretantur, NE QVA QVA M, seu Nusquam?

16. Nec

16. Nec quisquam ex omnibus patribus somniauit de hoc commento Iesuitico: quòd proprietates Naturarum **M A G I S** saluæ & integræ manserint propter vnionem, **Q V A M** **E X T R A** **E A M**.

17. Et procul dubio ipse Iesuita agnouit, Assumentum suum parum firmamentum habere in Conciliorum verbis. Ne tamen falsitatis conuictus videatur, mendacium mendacio pallians, dicit: Responfionem meam de particula **M A G I S**, (quod nimirum in Decreto Con. Chalced. non comparationis vox fit, quæ additionem Iesuitæ respiciat; sed quòd per asseuerationem opponatur voci **N E Q V A Q V A M**,) esse vanissimæ vanitatis effugium. Siue enim comparatè particula illa accipiatur, vt ipse (Iesuita) verba patrum exposuerit, siue maioris asseuerationis causa (iuxta meam sententiam) vsurpetur, vt sensus sit, propter vnionem non sublatas earum proprietates in Christo, sed potiùs seruatas: eandem vim esse suæ probationis. Si enim potiùs seruata quam abolita sint propter vnionem: certè alteram in alteram non immigrasse, quia sic abolita fuissent potiùs, quam seruata.

Mend. 66.

18. At fallitur Iesuita suo reprobo sensu. Potest enim immigratio Naturæ diuinæ in humanam, sine abolitione proprietatum consistere.

19. Sic enim Damascenus lib. 3. Cap. 7. scribit: Sciendum, quòd et si in se inuicem immeare Domini naturas dicimus: scimus tamen, quòd ex diuina natura immeatio facta sit. Ipsa enim omnia pertransit, vt vult, & peragrat: per ipsam verò nihil.

20. Huic consentit Hilarius & Casianus: quemadmodum testimonijs ipsorum docui pag. 9. Assertionis meæ.

21. Nec nisi ex vesano cerebro Iesuita sequitur: Si naturæ earum quæ proprietates potiùs seruatae sunt beneficio vnionis, quam abolita: Ergo **M A G I S** saluæ & integræ remanserunt propter vnionem, **Q V A M** extra eam.

22. Vt enim de integritate naturæ humanæ taceam, (quæ etiam extra vnionem cum Verbo, consistere potuisset) de natura diuina eiusquæ proprietatibus asserere, quòd propter vnionem **M A G I S** saluæ permanserint, quàm extra eam: hereticum planè est.

23. Vnde patet: Iesuitam verbis Concilij Chalced. in V. & VI. Synodo repetitis, falsam affinxisse sententiam; quam nulla ratione verisimili probare potuit.

24. Post-

fol. 14.

24. *Posthac tribui mihi errorem, quod scripsi: Licet patres naturas in Christo perfectas & distinctas esse crediderint: simul tamen eos docuisse, naturæ humanæ in vnione & propter vnionem cum Deo Verbo, longè diuersissimam & toto genere à communi & naturali conditione differentem rationem esse, quàm si in persona Verbi cum natura diuina non conuenissent. Idque breuitatis causa*

Cyrillus.

vnus Cyrilli testimonio probaui ex lib. 4. in Ioann. Cap. 23. vbi præter cetera sic scribit: Quoniam cum viuificante Verbo C A R O (quæ per se nihil prorsus viuificare potest, sed viuificante indiget: vt ibidem Cyrillus confite- tur:) coniuncta est: T O T A est effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam iunctum Dei Verbum detraxit: sed I P S A ad M E L I O R I S (id est, Dei Verbi) V I R T V T E M E L E V A T A E S T. Et Cap. seq. propter seipsum Spiritus viuificat: A D C V I V S V I R T V T E M P E R C O N I V N C T I O N E M C A R O conscendit. Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus: sed silentio atq; firma fide id suscepimus. Eundem pietatis honorem si Iesuitæ & Calviniani huic mysterio declararent: iam sublata esset controuersia de communicatione idiomatum diuinorum. Sed quia ratione comprehendere, & non fide suscipere illud volunt: perniciosè, impiè & blasphemè ballucinantur.

Mend. 67.

25. *Verum, istis verbis Cyrillus cum suam, tum Orthodoxæ Ecclesiæ fidem professus est. Quibus, tanquam clarissimis, cum Iesuita suam impietatem proteri, nostram verò assertionem luculenter confirmari agnosceret, nec, quo Lectori contra eam satisfaceret, asserre posset: non sine cauteriata conscientia, (abiecto tamen pudore & timore Domini) nihil ad rem respondendo, nugatur: Me magnâ proteruia obijcere Cyrillum. Quo sensu autem is scribat, carnem Christi ad virtutem Verbi eleuatam, & diuina viuificandi virtute donatam esse, copiosè se exposuisse Thesi 78. & post se Gregorium de Valentia, Defens. suæ pag. 151. & seq. quod ego conticuerim.*

26. *Agnoscit Lector pudendum effugium. Et si Thesin assignatam inspicat, manifestè deprehendet, Iesuitam contra mentem & institutum suum, in seipsum conuersum esse, verbisq; luculentis nostram sententiam exprimere & confirmare.*

In Thesi, 78.

27. *Verba eius sic habent: Secundus commentarius est: rectissimè carnem & sanguinem Christi dici V I V I F I C A T R I C E M, effe-*

effectricemq; vitæ æternæ & remissionis peccatorum, esse in celsitudinem Dei propriam euectam, esse *σύνθετον* Deo, vnâq; cum Diuinitate adorari: sed adiuncta legitima interpretatione, quam patres non omiserunt, nempe non secundum naturalis carnis proprietates: (*Caro .n. non prodest quicquam:*) nec ratione vbiq; communicationis: (*hoc malitiosè, & satanica astutiâ interserit, ne per omnia nobiscum loqui, nostramq; sententiam imprudenter stabilire, videatur:*) Sed **RATIONE VNIONIS** personalis, hoc est, quia natura diuina cum anima carneq; humana, sine vlla confusione, vel permixtione in vnâ subsistentiam, vel personam Verbi conuenit: sic vt caro facta sit propria non naturæ diuinæ, (*quod fieri non potest*) sed propria Verbi, & caro verè & propriè Filij Dei: ac ideo ratione Verbi **OMNES** quoq; **PROPRIETATES** Diuinitatis **HABET COMMUNES CVM VERBO:** & **VNA** adoratione (*vti Concilium Ephes. definiuit, & Scholæ Doctores constanter docent*) cum Diuinitate non coadoratur, sed adoratur.

28. *Quid hisce pro nostra assertionem confirmanda euidentiùs? quibus impiam doctrinam Iesuitarum & Calvinistarum euertit.*

29. *In defensione Gregorij de Valentia, (ad quam Busæus hic prouocat) candidus Lector nil nisi inutilissimas nugas (quas nec ex Scriptura, nec patribus orthodoxis vel leuiter colorare potest) offendet: quibus proiectâ impudentia verba Patrum clarissima peruertit, eisq; alienum sensum (cui apertè refragantur) affingit.*

30. *Cùm igitur verba patrum planiora sint, quàm vt peruersum sensum nugacis impostoris admittant: Iesuita mea verba aggressus, ex illis hoc modo sophisticatur: Si natura humana per vnionem consecuta est rationem à naturali conditione differentem, imò longè diuersissimam, totoq; genere discrepantem: non modò non **MAGIS** saluæ manserint in Christo vtriusq; naturæ proprietates, sed ne quidem saluæ. Qui enim asserit; toto genere distare naturam hominis Christi, vt homo est, à naturis aliorum hominum; is quoq; asserit, hominem Christum non esse eiusdem speciei cum alijs hominibus, sed nec eiusdem categoriæ, imò nullius; cùm Christus omnia genera etiã vt homo, vel secundum humanitatem (*vti ipsi fatemini*) propter vnionem transcendat. Quid ergo aliud tandem est humanitas **CHRISTI**, quàm ipsa Diuinitas? Quid est confun-*

B dere

Fol. 14

Mend. 68.

dere naturas, quid abolere humanitatem, quid plenis velis Euty-
chianismum inducere, si hoc non est?

31. Respondeo: Nihil prorsus horum ex nostra assertione sequitur: sed Iesui-
tam impudenter calumniari, falsumque testimonium dicere, inde constat; quod
Naturam humanam Christi NON SECUNDUM SUBSTANTIAM,
sed perfectionis ratione, qua illi accessit, toto genere differentem rationem à
naturalis conditione sortitam esse, dicimus. Hoc qui negat: ille aperte Scripturæ
& Orthodoxis patribus contradicit; eisque absurda, à Iesuita prolata, iniquissime
impingit & tribuit.

Naturam hu-
manam Chri-
sti, toto gene-
re differentem
rationem à
naturalis con-
ditione sor-
titam esse.

32. An non enim viuificare & viuificari; mundare à peccatis & munda-
ri; toto genere differunt? quorum in utroque ordine prius, diuina natura per se,
posterius verò humana competit: & tamen carni & sanguini Christi viuificare
& mundare in Scripturis tribuitur. Ergo secundum blasphemum tuum O S,
Scripturæ Spiritus S. confundit naturas & proprietates? abolet humanitatem?
& inducit Eutychnianismum?

33. Deinde, An non conditio, potestas, virtus & dignitas assumentis Ver-
bi, toto genere differt à conditione, potestate, virtute & dignitate naturali as-
sumti hominis? Ergo Orthodoxi Patres dum illa Humanitati Christi transscri-
bunt, eam in Diuinitatem conuertendo abolent? & Eutychnianismum (quem
expugnarunt) inducunt?

Cyrillus.

34. Sic enim Cyrillus lib. 12. Thesau. Cap. 15. scribit: Conditio quæ-
dam atque proprietas vel (si ita vis) dignitas (attende Iesuita, si aures
ad audiendum habes) alia creaturæ, alia creatori necessario inest.
Creatura serua est; Creator Dominus. Sed creatura quoque Domi-
no suo coniuncta, à propria conditione liberatur; & in meliorem
traducitur. Ita Natura nostra à Filio Dei assumpta mensuram suam
excessit; & IN CONDITIONEM ASSUMENTIS eam, per
gratiam translata est. Athanasius de Arriana & Catholica fide: In seipso
quam assumpsit, glorificabat Naturam, ut Humana CARO atque
Natura DIVINAM profecerit IN GLORIAM; ita ut omnem
potestatem in cælo & in terra habeat, quam, antequam à Verbo
assumeretur, non habebat. Gregorius Nyss. in Oratione 2. de Resur. Chri-
sti: Tunc cum accessissent & adorassent eum; quibusdam ambi-
gentibus, cum auctoritate plena Maiestatis DIVINÆ dixit:
Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Nam QVÆ
N A

Athanas.

Nyssen.

NATURALITER habebat tanquam DEVS; HÆC dicitur accipere tanquam HOMO. LEO *Epistola 81. Humana* LEO. humilitas in gloriam DIVINÆ POTESTATIS euecta est. Nyssen. *de anima: Deus Verbum, &c. tradens eis (corpori & anima sua)* DIVINITATIS SVÆ VIRTUTEM; manet idem quod erat & ante vnionem. Cyrillus *lib. 6. de Trinit. Humani-* Cyrillus. tatis paruitas IN SVMMÆ & excellentissimæ NATVRÆ DIGNITATEM peruenit; & ipsam indignitatis folio collocavit; & cum Carne Vnigenitus Dei Verbum dominatur omnibus non absq; patre.

35. *Hæc de sententia Scripturæ & Patrum, tanquam non sana & sobria mente à me alijsq; scripta, improbat insanus omnisq; pietatis in Christum exors homo.*

36. *Vt autem Lectori amplius constet; Iesuitam cum suis manipularibus, Maieitati Christi Iesu (à quo per ludibrium, hostes Christi acerbissimi seipfos denominant) ex immani odio & inuidia antiqui serpentis bellum indixisse: sententias nostrorum, quas ipse damnat, hinc transferam.* Iacobus Andreæ *(inquit)* in Colloquio Maulbrunnensi dixit: Tam sublimem constituimus Hominem CHRISTVM super omnes homines & creaturas, quàm Deus sublimis est super omnes homines. Et Lutherus *in sermone de Sacramento Cœnæ Dominiæ, Tom. 2. folio 12.* Lutherus. credimus, quòd Iesus Christus sit iuxta Humanitatem supra omnes creaturas collocatus. Idem *in Confessione de Cœna Domini: Necessè habes Christi carnem, quæ est cum Deo vna persona, longifimè extra creaturas collocare, adeoq; tam longè, quàm Deus ipse extra creaturas est.*

37. *Quid hæc queso Lutheri & Doctoris Iacobi Andreæ impietatis aut etiam falsitatis habent, vt animus Christianus ab ijs abhorreere debeat? An non Paulus idem ad Ephes. 1. asseruit, scribens: Deus excitauit Christum ex mortuis; & collocavit in dextra sua, in cœlestibus SVPER omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur non solùm in seculo hoc, verùm etiam in futuro. Et Cap. 4. Qui descendit, idem ille est, qui etiam ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Idem Philip. secundo: Deus illum superexaltauit, ac donauit illi nomen,*

quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium ac terrestriū, & subterraneorum, &c. *Quid Apostolus hic aliud scripsit, quàm quod Lutherus & D. Iacobus Andr. post & secundum ipsum docuerunt?*

Fol. 14.

Lutherus.

38. *Sed hic præter impietatem, Lector quoque, notet malitiam Iesuitæ; qua crimen falsi committit in verbis Lutheri describendis: quæ Iesuita ex libro Lutheri de Concilijs sic refert: Oportet dici, hic homo Christus, hæc caro & sanguis condidit cœlum & terram. In Luthero autem sic legitur: Dici oportet, hic homo Christus, hæc caro & sanguis Mariæ, est conditor cœli & terræ. Hic nemo tam stupidus est, qui non intelligat, diuersissimas prædicationes esse, cum dico: Hic homo ex Maria virg. assumtus est Creator cœli & terra; quia videlicet per vnionem personalem est Deus Verbum, qui cœlum & terram ante incarnationem creauit: & aliam prædicationem esse, cum dico, hic homo creauit cœlum & terram. Prior enim vera est: & factus est homo ex B. virgine assumtus, particeps virtutis omnipotentis, qua Mundus creatus est, & Homo ille quiduis facere & creare potest. Actus verò ille creationis, qui ante quinquies mille & plures annos perfectus est, de Homine illo prædicari propriè nequit, quia tum in rerum natura nondum fuit.*

39. *Nec si caro Christi, extra creaturas tam longè est, quàm Deus; (quatenus videlicet in persona Filij Dei supra & extra omnes creaturas subsistit) sequitur propterea, quòd nihil aliud quàm Deus sit: & idcirco non maneat eiusdem speciei cum carne cæterorum hominum. Nisi Iesuita hæc eadem absurda Paulo quoque, affricare & imputare velit: qui Christum secundum humanitatem supra & extra omnes creaturas ad dexteram Dei propriam collocat.*

40. *Tum autem hæc Antichristiana collectio Iesuitæ locum haberet, si carnem Christi per essentiam Deum diceremus.*

41. *At nos Scripturæ autoritatem cum patribus Orthodoxis sequentes, dicimus: Germen Dauidis, id est, Hominem ex semine Dauidis prognatum, esse Iehouam, Ierem. 23. Secundum hominem esse Dominum de cœlo, I. Cor. 15. Carnem esse Deum Verbum. Quod ante nos Athanasius, Augustinus, Nazianzenus, Cyrillus, Damascenus, & alij asseruerunt: sicut in Assertionem meam pag. 148. ipsorum verbis docui.*

42. *Et quia cum Scripturæ & patribus, carnem seu Naturam Christi assumptam non dubitamus Deum appellare, non quidem per essentiam, sed per vnionem personalem cum Deo Verbo: nequaquam inde sequitur, quòd*
cum

cum Eutylianis vnam in Christo Naturam fabricemus. Hoc Iesuita non nisi per calumniam & sycphantiam ex distorto suo cerebro emungit. Mend 69.

43. Quemadmodum etiam verba Andreae Musculi calumniatur. Quasi Iesuita bona fide transscripsit ex Disput. de mysterio manifest. Filij Dei in carne, Thef. 28. tum ea ita habent: Sic Verbum & caro vna sunt essentia, vt perfectam & integram coniunctio faciat vnitatem. Andr. Musculus.

44. Quis verò non agnoscit, Musculum per vnam essentiam nihil aliud intelligere, quàm vnum ὁφισάμενον, quod Verbum & caro constituunt? Non enim dicit, carnem in Verbum mutatam aut conuersam, & sic vnam essentiam ex Verbo & carne conflatam esse: sed Verbum & carnem in se permanentia, vnam dicit esse essentiam: & horum CONIUNCTIONEM (non dicit transmutationem aut conuersionem) perfectam facere vnitatem. Quibus verbis absq; dubio vnitatem personae contra Nestorianismum asserere voluit. Quo sensu etiam Casianus lib. 3. de incarnat. vocabulum Substantiae pro persona usurpat, scribens: Quid est aliud, nisi vt in vna eademq; substantia Deum & Iesum esse credamus? Casianus,
Substantiam
pro persona
posuit.

45. Eodem diabolico calumniandi studio Selneccero affingit, quòd vnam in Christo naturam fabricet. Cùm ex omnibus illius scriptis contrarium Lectori manifestum sit. Sic autem illum in Epist. ad Theol. Vvitemb. Anno 71. scripsisse, Iesuita perhibet: Quod ad potentiam attinet, cum Paulo loquimur; Si cognouimus Christum secundum carnem; sed nunc non nouimus. Cessante enim INFIRMITATE CARNIS, nihil in eo iam nouimus nisi VIRTUTEM Diuinitatis. Et infra. Ac per hoc, quicquid vel fuerat prius, vel EST & MANET substantiae DVPLICIS, factum est virtutis vnus. Selneccerus.

46. Ex his verbis sole clarius est; Selneccerum non de substantia, persona, aut naturis Christi verba facere, sed de ipsius potentia, quae carnis infirmitati (cui in vita mortali subiectus fuit) opponitur. Hanc infirmitatem dicit nunc sublata esse, vt sola Deitatis virtus agnoscat. Deinde, aperte dicit: Quicquid EST & MANET substantiae DVPLICIS, factum est virtutis vnus. Nam secundum Gregor. Nyssenum de Anima Cap. 12. Deus Verbum tradidit animae & corpori in communionem personae assumptis, DIVINITATIS SVÆ VIRTUTEM. Et adhuc clarius Epiphanius in Ancorato, à diabolica calumnia Iesuitae liberat Selneccerum, scribens: Non facit confusionem naturarum, nec humanam naturam aboleuit, (attende Iesuita, Epiphanius.

Hilarius .

si non totus à diabolo induratus es) sed corpus terrenum vnâ cum Diuinitate potens efficiens, IN VNAM VIRTUTEM seu potentiam VNIVIT, vnus existens Christus, non duo. *Similis planè locus est Hilarij lib. 3. de Trinitate.* Id quod de tempore est (*id est, Natura humana*) GLORIAM eius claritatis, quæ sine tempore est, accepit: vt in DEI VIRTUTEM & Spiritus incorruptionem TRANSFORMATA carnis corruptio absorberetur. *Quid obsecro Selneccerus ab his Orthodoxis patribus diuersum scripsit? & tamen à calumnia Iesuitæ tutus esse non potuit.*

Cassianus.

47. *Nescit, aut certè dissimulat malignus homo, Selneccerum ista sua transscripsisse ex lib. 3. Castiani de incarnatione Domini, vbi ista leguntur:* Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus: videlicet quia prius eum & hominem scimus & Deum, nunc tantum Deum. Cessante enim infirmitate carnis (*non dicit, cessante ipsa carne*) NIHIL in eo iam nouimus nisi virtutem Diuinitatis; quia totum in eo virtus est maiestatis diuinæ, vbi esse desijt infirmitas imbecillitatis humanæ. *Et post pauca:* Natura enim carnis in spiritualem est translata substantiam: & illud quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei. Et ideo non nouimus Christum secundum carnem: quia ABSORPTA per DIVINAM MAIESTATEM INFIRMITATE corporea, nihil sacro resedit corpori (*quod nimirum in vnione manet*) ex quo IMBECILLITAS in eo CARNIS possit agnosci. Ac per hoc, quicquid fuerat prius substantiæ duplicis, (*Hic addit Selneccerus; vel EST & MANET Substantiæ DVPLICIS: vt hac additione se contra satanicam calumniam Iesuitarum probe muniret*) factum est virtutis vnus. *Hæc Cassianus.*

48. *Ergone Iesuita accusabit eum Eutychnianismi, & clamabit:* Si nunc TANTVM Deum scimus: & si NIHIL est in carne Christi nisi virtus Diuinitatis: si omnia in Christo sunt virtutis vnus: quomodo duplices in eo manserunt proprietates vel virtutes naturales? Et, si non sunt duplices proprietates: quomodo manserunt duæ Naturæ?

49. *Audis Cassiane, quam blasphemiam tibi intentet Iesuita? Respondet ipse in eodem loco: & ab Eutychnianismi suspitione se ipsum & Selneccerum vindic-*

vindicat, subijciens: Præclarus utiq; & admirabilis Magister (Paulus) sciens Dominum Iesum Christum sicut verum Deum, I T A & V E R V M Hominem prædicandum: ita semper maiestatem Diuinitatis in eo prædicat, vt incarnationis confessionem penitus non relinquat: excludens utique & P H A N T A S M A M A R C I O N I S incarnatione vera: & paupertatem Hebionis Diuinitate perfecta, ne scilicet per A L T E R V T R V M, blasphemix peruersitate Dominus Iesus Christus aut Homo penitus sine Deo, aut D E V S sine homine credatur.

50. Videt Christianus Lector, quanta sit malitia Iesuitarum: & quam potenter à Diabolo agantur, vt orthodoxè & rectissimè dicta peruertant, calumniantur, & in contrarium planè sensum (contra mentem Autoris) torqueant.

51. Quòd si non omnem prorsus frontem deposuisse iudicarentur: ipsunq; Paulum Eutychnianismi damnarent, & contra ipsum tanquam hæreticum hoc modo spumarent: Si nunc non amplius nosti Christum secundum carnem: ergo Christus secundum te nunc tantum Deus est? Quomodo ergo manent duæ naturæ? Quomodo non tollis carnem, & fabricas in Christo vnã naturam? Hac exprobratione manifesta, quamuis Paulo parcant: Omnia tamen nobis, doctrinam illius sequentibus, obiecta, in contumeliam eius vergunt.

52. Verum satis de hoc errore, quem mihi Iesuita imputat; ipse in impio & blasphemio errore deprehensus, quo Scripturæ sacræ & Orthodoxis patribus apertè contradicit. Ex his enim quod nos asserimus: Naturam humanam C H R I S T I in sua substantia permanentem, ita perfectam esse, vt sortita sit (per vnionem personalem cum Deo Verbo) rationem toto genere differentem à communi & naturali sua conditione, gratia cuius caro fit viuifica, cum secundum naturalem conditionem viuificante indigeat: & C H R I S T V S secundum Humanitatem, D E I propriam potestatem & virtutem acceperit, qua non tantum Ecclesiam in toto mundo dispersam gubernat, sed etiam creaturis vniuersis in cælo & in terra, Maiestate Dei propria dominatur. Hoc atheos iste Christi aduersarius, sceleratè negat.

Fol 15.

53. In mendacio decimo quinto, mihi per mendacium imputato, tanquam Gallus gallinaceus in sterquilinio tripudiat: quod nimirum errore Typographico factum est, ut pro Martino I. Mauritius I. scriberetur. Hic dicit: Me crimen falsi commisisse. Vtinam verò tu maius crimen non admitteres: sic enim & animæ tuæ miserrimæ & Ecclesiæ aut Scholæ, quam perniciosæ docendo perdis, melius consuleretur.

Mend. 70.
Thef. 11.

Leo communem naturarum asserit.

Damascenus.

54. Sed ad rem. Ego te iure criminis falsi accusavi, quod de VI. Synodo generali Const. Act. 17. & Roma. Lateranensi sub Martino I. impudenter scribere audes, eas docere; proprietates vnâ cum natura sua per immigrationem vel quamcunq; aliam coniunctionem realiter alteri naturæ non communicari. Hoc nullam vnquam Synodum Orthodoxam statuisse, nullum patrum docuisse, scripsi: & contrarium ex Act. 17. Concilij sexti probavi, vbi hæc verba Leonis leguntur: Agit vtraq; forma (id est, Natura) cum ALTERIVS COMMVNIONE, quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Quæ verba Damascenus lib. 3. cap. 19. sic interpretatur: Non diuisas dicimus actiones, NEQUE DIVISE AGENTES NATVRAS, sed vnità vnquamq; CVM ALTERIVS COMMVNICATIONE agentem id ipsum quod proprium habuit. Neq; enim humana humanè operatus est: (non enim nudus erat homo:) neq; diuina secundum Deum solùm, nam non erat nudus Deus: sed Deus simul & homo.

Mend. 71.

55. Adhæc quid Iesuita? & quomodo mendacium suum excusat? Alio non minus turpi mendacio. Dicit, Hoc alterum crimen falsi esse, quodposito omni pudore garriam, nullam vnquam Orthodoxam Synodum, nullum patrum docuisse, quod ipse Concilij tribuat. Sed quomodo hoc crimen de me probat? vesanus homo blaterat: An negare audeam, Synodos citatas decernere; In Christo geminas esse proprietates naturales? Imò hoc ipsum ex scripturis cum Synodis confitemur. Hinc verò minimè sequitur; (quod insulsè & stultè colligit Iesuita:) Eas præterea realem communicationem naturarum & proprietatum negare: nec istud Iesuita vlllo verbo docere potest. Simul enim hæc consistunt. Nec communicatio, qualis à nobis describitur, tollit distinctionem naturarum & proprietatum: licet natura humana cum suis proprietatibus, à Diuina summè perfecta sit.

56. Hic

56. Hic verò notet Lector vertiginem aut certè malitiam Iesuitæ. Scripsit Thesi 11. Ecclesiam Catholicam docere c v m v i. Synodo generali & Roma. Lateranensi, proprietates vnà cum naturâ suâ per immigrationem vel quamcunq; aliam coniunctionem realiter alteri Naturæ NON COMMUNICARI. Nunc in Apologetico dicit: Se negare, quòd id Synodis adscribat. Si verò Ecclesia Catholica c v m Synodis id docet, vt perhibes: quomodo non ipsis quoq; Synodis adscribis, quòd istud doceant?

57. Sed audiat Lector effugium hominis, filio mendaci & tenebrarum dignum. Ait, se id negare. Suum enim institutum fuisse, NON tam Synodorum, quàm Ecclesiæ Catholicæ ROMANÆ (vbi contradictio est in adiecto: quod in Thesi 10. omisit. Nam Ecclesia Romana, qualis nunc est, non est Ecclesia Catholica) quæ fuit, & NVNC EST, exponere sententiam. Ego igitur (inquit Iesuita) vt exprimerem, quemadmodum Ecclesia (Romana videlicet) decreta illa Synodorum intelligeret, ADDIDI: Sic geminas in Christo asserendas esse naturas & proprietates, vt NULLO MODO admittamus, realiter alteram alteri (eo quidem sensu, quem comminiscuntur vbiquistæ) communicatam esse. Hæc ille.

Impietas &
blasphemia
Iesuitæ.

58. Vbi initio pro confesso accipimus, quòd Synodi istud non doceant: sed hoc esse additionem vel potiùs deprauationem Iesuitæ & Ecclesiæ Romanæ; quæ Decreta Synodorum pro libidine peruertunt; & contra mentem patrum in sensum alienum detorquent. Nam hi ipsi patres, (qui partim præfuerunt, partim pars Synodorum fuerunt, vt Cyrillus & Leo magnus) & distinctionem naturarum & proprietatum, & earundem communicationem docuerunt: Sicut plurimis illorum testimonijs demonstrari, nec Iesuita contrarium probare, potest.

59. Et intelligit procul dubio Iesuita suam ipsius vanitatem: quòd nimirum aliud sit exprimere, Quomodo Ecclesia Antichristi Romana, decreta Synodorum intelligat & peruertat: & scribere, Ecclesiam Catholicam (quæ cæteris est rectè sentientium & credentium) c v m Synodis hoc vel illud docere.

60. Deinde obseruet Lector: Parenthesin illam de vbiquistis, versutè & malitiosè insertam esse. Quamuis enim Iesuitæ (euidentiâ veritatis conuicti) videri velint se aliquam communicationem proprietatum admittere: hæc tamen nihil aliud est, quàm satanica impostura, quâ Christo Homini & Ecclesiæ illudunt. Eam enim Buseus in futilissimo suo scripto, quo Disputationem

C

meam



Communica-
tio proprietat-
um Iesuitica.

meam I. refutare conatus est, Num. 65. his verbis explicat: Ex vnione in persona Verbi fit, vt, quæ vnus sunt Naturæ, dicantur etiam pertinere ad alteram, NON ALIO SENSU, quàm quia pertinent ad propriam alterius Naturæ hypostasin. Quasi euomat Iesuita: Non pertinere ad alteram Naturam, sed duntaxat ad eius hypostasin. Quod est vno halitu idem de eodem affirmare & negare; vnaq; manu aliquid dare, & altera confestim rursus auferre.

61. Addit Iesuita: Existimamus enim, admissa illa naturarum inter se communicatione (qua v. c. Christus non tantum secundum Diuinitatem, verùm etiam secundum Humanitatem dicitur omnipotens, omnisciens, omnipræsens, Deus) prorsus è medio tolli naturarum distinctionem.

62. Audit hîc Lector rationem egregiam. Quia enim Iesuitæ cum Romana Ecclesia sic existimant: Ideo scilicet verum est, & ab omnibus credi debet. At vestrum existimare, tanti ponderis & momenti non est, vt nostra conscientie contra Scripturæ luculentam auctoritatem, & Antiquitatis apertum testimonium, satisfaciat. Ab his enim docemur, Hominem ex B. virgine assumptum, per & propter vnionem personalem esse Deum, esse omnipotentem, &c.

Mendac. 72. 63. Quod præterea dicit: Concilia nullam vsquam communicationem admittere aliam, quàm quæ est secundum subsistentiam vel vnionem in hypostasi Verbi: hoc est, quod vni quidem hypostasi communes sint propriè operationes diuinæ & humanæ: non autem quod diuinæ operationes Naturæ humanæ, aut passiones Humanitatis Deo Verbo tribuantur. Hoc falsum esse, paulò antè verbis Leonis ostendi, quæ in sexta Synodo generali exstant. Et plura ex Actis Concilij Ephesini produci possent; quæ nunc breuitatis causa omitto.

64. Et quia Leonis, Damasceni & Hilarij verba (quæ in Assertionem obiecta esse nugatur vel augendi voluminis, vel confundendi Lectoris causa) communicationem realem luculentius confirmant, quàm vt à Iesuita infringi, aut sine confusione eludi possint: dicit, se responsurum ad illa, vbi peruentum fuerit ad Theses, in quibus eadem patrum testimonia à se dissoluantur.

65. Theses illæ sunt 77. & 78. in quibus respondere conatur ad nostrum, vt vocat, principale argumentum, ex multis diuinarum Literarum sancto-
rumq;

rumq; patrum testimonijs extructum; in quibus Humanitati in abstracto Diuinitatis proprietates attribuuntur.

66. Hec verò ipsius responsio tam friuola est, vt mirum sit, Iesuitam ad eam prouocare ausum fuisse. Ita enim lacerat & peruertit Scriptura & Patrum perspicua & manifesta dicta; vt rectè dicat, ea abs se dissoluta, id est, discissa & dilaniata esse, Lector videat Apologeticum ipsius à pag. 160. meamq; Assertionem à pag. 317.

67. Et quia non habet, quod verè & solidè ad ista clarissima dicta respondeat: denuo me ablegat ad nugacissimi impostoris, Gregorij de Fallentia, defensionem. Cuius peruersum ingenium in adulterandis Patrum sententijs vt pateat, vnum & alterum exemplum ex paginis, quas Iesuita hinc notat, adducam.

Greg. de Fallentia, dicta Patrum peruertit.

68. Scribit Damascenus lib. 3. Ortho. fidei Cap. 18. Humana Christi voluntas naturaliter non erat omnipotens: vt autem Dei Verbi verè & secundum naturam facta est, etiam omnipotens est. Hec verba Damasceni apertissima, Fallentianus in Defens. sua pag. 34. ita peruertit: Damascenus Humanam Naturam atque voluntatem Christi factam esse per vnionem, omnipotentem intellexit, NON quia ipsa in se beneficio vnionis sit omnipotens, diuinamq; omnipotentiam exercere ipsa possit: Sed quia SVA ipsius PERSONA (id est, persona Verbi) cuius facta est natura & voluntas, est omnipotens. Quid magis veteratoriè de verbis clarissimis dici potest? quibus non Dei Verbi omnipotentiam, sed Naturam humanam perfectionem celebrare voluit, Damascenus. Et pag. 150. Eandem Sycophanticam impietatem repetit: Quoniam (inquit) persona diuini Verbi facta per hoc mysterium est ipsius Naturæ assumptæ persona: VIDENTVR etiam (videt Lector nequitiam hominis) quandoque Patres QVÆ DIVINA sunt, ipsi assumptæ Naturæ tribuere, NON quia IPSA, sed quia suâ ipsius (vt ita dicam) persona diuinam excellentiam atque dignitatem habet. Et exempli causa adducit locum Damasceni modò allegatum. Hæc scilicet sunt illa, quæ Buseus à suo Gregorio ACCURATE pertractata dicit.

69. Ceterum, an hætenus manifestam veritatem, vel stultam impietatem Iesuitæ oppugnarim: in vtro etiam nostrum spiritus calumniandi regnet: de hoc candidus Lector ex disputatione præcedente eiusq; Apologia, & ex hac præsentate concertatione facillè iudicare poterit.

73. Falſitas.

70. *ſcripſerat Ieſuita in Theſi 12.* Factum eſſe, vt ſicut quælibet natura creata, angeli, hominis, leonis, ſua hypoſtaſi vel ſuppoſito, ſic in Chriſto duæ perfectæ naturæ vnâ hypoſtaſi vel perſona Filij Dei potentiffimâ ſubſiſtant & ſuſtinentur.

In Affert.

pag. 20.

Suſtentationem ad perſonalitatem naturæ propriè non pertinere.

71. *Adhæc reſpondi:* Suſtentationem ad rationem perſonalitatis Naturæ, non pertinere. Et ſicut nulla natura creata à ſuo ſuppoſito, ita multò minus natura diuina Verbi à ſuâ hypoſtaſi ſuſtentari dicatur: quia nec ἐστίη nec τῶ ἐΐνα, ſed tantùm ratione differant. Vbi verò ſuſtentatio locum habeat: ibi ſuſtentans & ſuſtentatum realiter & eſſentialiter diſcerni. Nec etiam ſuſtentationem per ſe ad perſonalitatem naturæ humanæ in Chriſto pertinere, cùm etiam extra hanc vnionem, à Verbo, ſicut reliquæ creaturæ, ſuſtentari potuiſſet.

72. *Hæc cùm Ieſuita diſſoluere neſciret, garrit:* Me nodum in ſcirpo, & litem in voce ſuſtentandi quærere: quam, ſi ſpiritus calumniandi à me abſuiſſet, facilè dirimere potuiſſem, cùm & hîc & in exitu huius Cap. planiffimè indicârit, ſe non de quauis ſuſtentatione locutum, ſed de ea, qua perſona diuina ſubſiſtens, ſuo quodam modo dicatur ſuſtentare naturam humanam in Chriſto.

73. *Agnoscat cordatus Lector, hæc præter nenas & inanes præſtigias nihil ſapere; quibus Lectorem deludere ſtudet, ac ſi ad obiectum aliquid reſpondiſſet.* Quis enim vnquam negauit, perſonam Dei Verbi ſuo quodam modo ſuſtentare naturam humanam in Chriſto? Falfum eſſe dixi, propter rationem aſſignatam, quòd quælibet natura creata, vt angeli, hominis, ſuâ hypoſtaſi ſuſtentetur: & multò magis falſum, quòd in Chriſto duæ perfectæ naturæ vnâ hypoſtaſi Filij Dei ſuſtententur. Et quidem de Naturâ humana iſtud non negamus, ſed tantùm de diuina: Ad hoc diſertè reſpondendum, & ratio mea infringenda erat. Verùm de quacunq; ſuſtentatione loquatur Ieſuita; non pertinet ea propriè ad ſubſiſtentiam duarum Naturarum in Chriſto, de quo poſtea plura.

Fol. 16.

74. *Quia igitur rationem à me allatam euertere non potuit, implorat auxilium Grammaticæ, & dicit:* Vocem græcam ὑποσυστασις, demonſtrare, quòd conuenienter voce ſuſtentandi Scholaſtici Doctores hætenus uſi ſint, eâq; vocem Suppoſiti vel Subſiſtentia reſertè explicarint. Illam enim de Verbo reddi per vocem Suppoſitum, vel Subſiſtentia, vel Subſtantia. Quæ autem ſubſtant (inquit) vel

vel supposita sunt; PROPRIE habent rationem FUNDAMENTI, molem incumbentem SVSTENTANTIS. Vnde & diuina Scriptura nomen hypostasis attribuat non solum personæ Patris, Heb. I. sed etiam fidei: quia fides sit fundamentum totius Iustitiæ Christianæ, Heb. II.

75. Secundum hanc rationem Iesuitæ Grammaticam, quælibet Natura singularis à suâ subsistentia vel hypostasi sustentabitur. Quod falsissimum est. Natura enim creata, (sicut quoque diuina) & hypostasis eius, non differunt essentiali. Ideo hypostasis non dicitur sustentare naturam. Estque hypostasis, ipsa substantia seu Natura singularis cum proprietatibus & accidentibus, per se & in se subsistens: nec sine natura esse aut desiniri potest. Et persona diuina nihil aliud est, quàm Natura diuina, Characteristica proprietate seu differentia personali deuincta & determinata. Sic persona Filij Dei constat naturâ diuinâ & personali proprietate; quæ à Patre & Spiritu S. discernitur.

Hypostasis
Naturæ sin-
gularis.
Persona diui-
na quid.

76. At secundum Iesuitam, suppositum seu hypostasis, per se subsistens & sustentans aliud, diuersum quid est à Natura; sub ratione videlicet fundamenti, Naturam velut molem incumbentem sustinens & sustentans. Quod falsissimum, absurdissimum, & in diuinis hereticum est. Et tamen Iesuita statuit illud de hypostasi & Naturâ Dei Patris: si modò exemplum rationi conuenire, & non dissentire, debet.

Hypostasis se-
cundum Ie-
suitas quid.

77. Similiter falsum est, quòd fides hypostasis dicatur, quia fundamentum sit totius Iustitiæ Christianæ. Christus enim propriè loquendo fundamentum Iustitiæ nostræ est: cuius applicandæ nobis, instrumentum est fides. Quæ hypostasis dicitur, quia est firma subsistentia seu fiducia, quæ promissionibus Dei insistimus, etsi res promissæ non appareant, sed euenturæ sperentur.

Fides cur hy-
postasis dica-
tur.

78. Postea, subsistentiam personalem naturæ humanæ rectè explicari per sustentationem eius in persona Verbi, probare conatur autoritate antiquissimorum Scholæ Doctorum, vt Alexandri Halefij, Thomæ, Bonauenturæ, Durandi, & ante Scholasticorum seculum Rustici in libro contra Acephalos: qui existimarint, vnionem personalem congruenter explicari similitudine RAMI insiti in arborem alterius speciei: eò quòd sicut arbor prius subsistens SVSTENTET Ramum illum, qui alioquin PER SE SVBSISTERE poterat: sic persona diuina sustentet naturam humanam in Christo, quæ poterat per se subsistere.

Quid Natura
humana ex
subsistentia in
Deo Verbo,
habeat.

79. *Et si verò hæc similitudo Rami, non per omnia inconueniens sit: non tamen per eam diuinissima ratio subsistendi in persona Verbi, exprimitur. Nec verbum SVSTENTANDI quicquam facit ad explicandam CLARIVS rationem subsistendi in Verbo. Nam etiam sine HAC subsistentia, sustentatio esse potuisset. Quia verò Natura humana in Deo Verbo personaliter subsistit: non tantum ab eo sustentatur, sed etiam diuina persona, Deitatis & gloria Dei propria particeps facta est. Quam prerogatiua & eminentiam Natura assumpta, Iesuita & Caluiniani excludunt: solam sustentationem vnâ cum creatis donis, in subsistentia & persona Verbi ipsi largientes.*

80. *Deinde similitudo in eo quoque, non congruit, quòd falsum est, Ramum per se subsistere posse, sicut Natura humana CHRISTI per se subsistere potuisset. Si enim ab arbore resecetur, nec in aliam inferatur; exarescit, nec nisi æquiuocè Ramus dicitur; propriam hypostasin non habens. Hoc enim contra naturam partium integralium est. Cumque in rebus, etiam pueris non ignotis, ita desipiat Iesuita; quid eum in mysterijs diuinis sapere censendum erit?*

Mend. 74. 81. *Et quomodo Iesuita totus ex mendacijs & calumnijs compositus, non mentitur, cum dicit: Se non alia de causa in Thesi, prius voce subsistendi, tum sustentandi vsum esse, quàm vt hanc calumniam cauillandi Studiosis eriperet? Cum in immediatè præcedentibus expressè dicat; Se hoc vocabulo SVSTENTANDI tantum vti, ad EXPLANANDAM rationem subsistendi: in qua Patres formalem personæ rationem posuerint. Ideo nihil ipsum iuuat, quòd garrit vel potius nugatur; Se vocem subsistendi de diuina, sustentandi verò de Natura humana accepisse. Quod enim vocem sustentandi, de vtraque Natura usurpârit; verba eius clarissimè docent. Et pagina 26. idem confirmat, scribens: Personam Verbi in CHRISTO, quasi duarum personarum officia exercere, secundum subsistentiam suam SVSTENTANDO & terminando DVAS perfectas Naturas, DIVINAM & humanam.*

82. *Deinde, secundum descriptionem hypostaseos Iesuiticam, quia hypostasis diuina substans & supposita est: propriè habet rationem fundamenti, & sustentat Naturam diuinam velut molem incumbentem. Quod ἀδολογόν.*

83. Siue

83. Siue autem voce subsistendi siue sustentandi utatur Iesuita : errat in eo, quod Natura diuina in persona tanquam in alio subsistat : Cùm persona diuina nihil aliud sit, quàm Natura diuina, proprietate personali definita & determinata.

84. Quod obieci: Vbi sustentatio locum habeat, ibi sustentans & sustentatum realiter discerni. Respondet pro autoritate Iesuitica: Id in quibusdam tantùm rebus verum esse, non in omnibus: Hanc scilicet responsionem Lectori sufficere iudicans; etsi nihil prober. Homines enim pro stupidis anseribus habent, qui nihil intelligant; & credere teneantur, quicquid hoc peruersum Monachorum genus eis obtrudat.

85. Quod inaniter deblaterat: Naturam humanam propriè sustentari à persona Verbi: & distingui à persona sustentante & realiter & essentialiter: Hoc nemo vnquam negauit. Sed quòd Sustentatio Naturæ humanæ propriè dicta, ad diuinissimam subsistendi rationem in persona Verbi (gratia cuius deificata & ὁμοθεος à Nazianzeno dicitur) pertineat: Hoc nondum probauit Iesuita.

86. Ut verò in Theologia totus errorib. scatet; ita quoque in Philosophia absurdus & ridiculus est, dum dicit: Potentias animæ ab anima, ut accidentia à suo subiecto, PROPRIÈ sustentari. Cùm enim Anima secundum Aristotelem aliosq. præstantissimos Philosophos, nihil aliud sit, quàm s v æ potentia: Hæq. ab Anima non nisi formaliter differant: quomodo istud verè & propriè de illis dicetur?

Potentias animæ sustentari ab anima, secundum Iesuitam.

87. Denique Iesuita sic totus mentiendi libidine inebriatus est, ut nihil candidè bonaq. fide ex alijs referre possit. Vbi enim queso scripsi: Vnionem Naturarum in CHRISTO, etiam propterea personalem dici, quòd communicatio quædam naturis καταλλήλως intercesserit? Hoc autem scripsi: quòd sicut hæc unio appelletur personalis, propterea quòd in persona Verbi diuina & humana Natura personaliter non sine reali κοινωνία vnitæ sunt, vnâque personam CHRISTI, DEI & hominis, constituent, &c. ita communicationem illam, quæ Naturis καταλλήλως in persona Verbi intercedat, personalem dici. Vnionem enim non sine mutua communicatione Naturarum factam esse: quod in Capite quarto ex Sacra Scriptura demonstratur. Hæc mea verba Iesuiticis illis planè dissimilia esse, quibus intelligit.

Mend. 75.

Communicatio Naturarum personalis.

Ne

Ne autem Iesuita nihil prorsus prestare videatur: promittit, se in Cap. 4. Communicationem illam, ex S. Literis à me ibidem demonstratam, planissimè eversurum. Quod certè fideliter executus est, si mentiri, nugari, calumniari, pervertere Scripturæ dicta, est sententiam veram evertere. De quo (iuuante Deo) Cap. 4. censuram instituemus.

Contra The-
sin 13. Iesuita.

88. Ad Thesin 13. Iesuita respondemus: Communicationem realem in persona Christi, ex vnione, per & propter vnionem, factam esse. Quòd autem communicatio idiomatum ex sola vnione, & non etiam ex communicatione naturarum, quam nos docemus, proficiscatur: hoc negamus. Nam ordine naturæ communicatio naturarum (quæ vnione personali posterior est naturâ) proprietatum communicationem in persona Christi precedit; & hæc sine illa fieri nequit. Hinc Athanasi. in Epist. ad Epiet. scripsit: Homini ingens additio facta est ex Verbi ad ipsum COMMVNIONE & vnione: siquidem ex mortali factus est immortalis: & cum animalis esset, spiritualis redditus est. Et Nyssenus de Anima: Deus Verbum à COMMVNIONE illa, quæ sibi est ad corpus & animam, nunquam alteratur, &c. sed TRADENS EIS DEITATIS SVÆ VIRTVTEM, manet idem quod erat & ante vnionem.

89. Deinde, vetustos patres non aliam communicationem idiomatum docuisse, quàm quâ diuinæ humanæq; Christi proprietates, personæ ab vtralibet natura denominate, attribuuntur: falsum esse demonstraui Cap. 4. & 5. Assertionis meæ.

90. Et quia Iesuita Naturarum & proprietatum communicationem mutuâ in persona Christi negant: ideo propositiones sequentes, secundum doctrinâ ipsorum, veræ esse non possunt, quando dicitur: Filius Dei est Homo, est passus, crucifixus & mortuus. Item: Christus homo est Deus, est immortalis, omnipotens, ubiq;. Hæc inania verba sunt, quibus nulla res subest, si videlicet communicatio naturarum & proprietatum in persona Christi locum non habet.

Secundum Ie-
suitas & Cal-
uinianos, Fi-
lius Mariæ
non est Deus.

91. Vt enim de attributis humanis exempli tantùm causa breuiter agam; si hæc Filio Dei communicata non sunt: Falsum quoq; erit, quòd Filius Dei sit passus, Dominus gloriæ crucifixus, & autor vitæ interfectus. Nulla quoq; erit redemptio & salus nostra. Et quod amplius est; Filius Mariæ non erit Deus, sed nudus & purus tantùm homo. Quæ hæresis est Cerinthi, Ebionis, Pauli Samosateni, Arrij, Eunomij, & similium bestiarum: cui pestifera hæresi Iesuita & Calviniani negatione communicationis realis, velint nolint, patrocinantur.

Hoc

Hoc scilicet intendit & quarit Satan per Apostolos suos, ut Arrianisimum reducat in Ecclesiam. Nam qui nec per essentiam, nec per realem & personalem communicationem Deus est; is nullo modo Deus verus esse potest.

92. In Censura huius Thesis, dicit, me duos novos errores prode-
re. Primum esse, quod in his enunciationibus; Filius Dei factus est
homo; Christus homo est Deus; vox Homo idem significet, quod
natura humana. Unde ad Thes. 36. postea contendam: Hominem
& Humanitatem Christi esse Synonima. Quod Nestorij dogma
esse, manifestum sit.

93. Facit hic Elenchus, sicut alia plura, ut suspicari cogar; Iesuitam totum
in reprobum sensum datum esse, cum clarissima veritati contradicere non eru-
bescat. Quis enim unquam audiuit, vel legit in aliquo Orthodoxo Patre, vo-
cem H O M O in H I S propositionibus non humanam Naturam, sed diuinam
personam Filij Dei in Natura humana subsistentem significare?

Fol. 17.
De propositio-
nibus: Filius
Dei factus est
Homo: & Ho-
mo est Deus.

94. Quod si has propositiones exponas secundum interpretationem Iesui-
tae: quae monstra, quae hereses inauditae nascentur? Nam propositio illa Symboli
Niceni: Filius Dei Unigenitus factus est Homo: Hunc sensum habebit:
Filius Dei factus est persona Filij Dei, habens Humanitatem, seu
consistens in Humanitate. Quod absurdissime & hereticissime di-
ctum est.

95. Sed quia de hac stolidissima absurditate egimus in Disput. I. Thes. 301.
& seq. Item in eius Apologia Thes. 180. & seq. nunc prolixior esse nolo: praeser-
tim cum in Refutatione Thesis Iesuiticae 16. & 17. eadem recurrant.

96. Quod autem Nestorij dogma sit, asserere: Vocem Homo in mo-
do dictis & similibus enunciationibus, idem significare, quod
humanam Naturam Christi: Id ex Theodoro probare conatur: quem
lib. 4. her. Fab. sic scribere refert: Age mihi deinceps observa non pri-
us cognitum, impium & blasphemum dicendi artificium Nesto-
rij. Christi, inquit, appellatio duas naturas significat, Diuinita-
tem Unigeniti & Humanitatem. Vox autem Dei, si absolute dica-
tur, simplicem & incorpoream Verbi Dei substantiam ostendit.
Haec autem vox Homo, solam humanam Naturam indicat.

Fol. 17.
Theodoretus
de Nestorij
dogmate.

97. Haec verba simpliciter ut sonant accepta, nihil per se impietatis aut
blasphemiae habent; nisi quod forte Nestorius errorem suum illis palliare aut sub
illis occultare voluit. Nam quod Christi appellatio duas Naturas significet diui-
nam & humanam: idem plane Theodoretus quoque in Dial. 3. docuit scribens:

Vox Christi
duas naturas
significat.

D C H R I -

Theodor. CHRISTVM audiens, non incorporeū intellige Deum Verbum, sed incarnatum. Nam Christi nomen vtramq; naturam significat.

Cyrillus. Audis quid pro nobis Theodoretus dicat? Sed audi quoq; Cyrillum, Nestorij expugnatorem, tua insania ex professo contradicentem in lib. 1. ad Reg. Quidam dicunt (Iesuita videl.) quòd nomen Christus, conuenit & soli & propriè & secundum seipsum intellecto & existenti ex Deo Patre genito Verbo. Nos autem non sic didicimus sentire aut loqui. QUANDO enim Verbum caro factum est: TVNC & nominatum esse dicimus ipsum Christum Iesum. Nam quoniam vnctus est oleo exultationis, hoc est, sancto Spiritu à Deo Patre; idcirco Christus nominatur. Cæterum quòd vnctio sit secundum Humanitatem: nemo, qui rectè sapere solet, dubitarit.

Vocem, Homo: significare Naturam humanam: per absurdum docetur.

98. Similiter vox Dei, si absolutè in presenti negotio ponatur; simplicem & incorpoream Dei Verbi personam denotat. Quod autem vox Homo, in articulo de persona Christi sapissimè & sic quoq; in nominatis propositionibus, non personam Filij Dei æternam habentem humanitatem, sed Naturam humanam, quæ cum persona Filij Dei personaliter vnita est, significet; innumeris testimonijs probari possit. Pauca exempli causa adducam.

99. Cùm Paulus 1. Cor. 15. ait: Factus est extremus Adam (seu homo) in Spiritum viuificantem. Quis hinc tam absurdus & insanus, nisi Iesuita aut Calvinianus erit, vt hæc verba sic accipiat: facta est diuina & æterna persona Filij Dei, habens Humanitatem in Spiritum viuificantem seu Deum. Ita cùm Augustinus in Decreto de Conse. Dist. 2. Cap. Hoc est, inquit: Christi persona constat ex Deo & Homine. Horum verborum secundum Iesuitam, hic sensus erit, (si videlicet Nestorianum est, vocem Homo idem significare quod Naturam humanam:) Christi persona constat ex persona Filij Dei, quæ habet Deitatem, & ex persona Filij Dei, quæ habet Humanitatem. Quis hæc portenta audiuit? Cyrillus lib. 10. Thesau. Cap. 9. scribit: Filius Paternam gloriam in HOMINEM, quem assumpsit, petendo vt Homo traducit. Hinc si Homo & Humanitas non sunt synonyma: tum Filius assumpsit personam Filij Dei habentem Humanitatem. Quo quid absurdius, magisq; hæreticum?

100. Et ne prolixior sim, infinita testimonia Patrū occurrunt, in quib. vox Homo pro Humanitate seu Natura humana vsurpatur. Pleriq; etiam Patres, in Verbis Iohannis: Verbū Caro factum est: Vocem caro per Hominem exponunt. Vt Athanas. serm. 4. contra Ariā: Verbum (inquit Ioannes) caro factum

Etum est: Scripturâ pro consueto more carnem appellante H O -
M I N E M. Ut apud Ioelē: Effundam super omnem carnem de
Spiritu meo. *Augustinus Tract. 59. in Ioan.* Verbum caro factum est,
id est, Deus homo factus est. *Ergone persona Filij Dei facta est persona Fi-*
lij Dei habens Humanitatem?

101. Et quomodo non turpissimè mentiēdo scribit: In O M N I Philo- Mendac. 76.
sophia & T H E O L O G I A præterquam Tubingensi, esse inaudi-
tum, quòd Homo & Humanitas Christi sint synonyma.

102. Nec nos ita bardi & eruditionis syncera expertes sumus, ut non accu-
ratè distinguere nouerimus inter vocabula abstracta & concreta in modo signi-
ficandi. Sed simul etiam ex fundamentis sacrae Theologiae contra vos impostores
demonstramus; quòd vox Humanitas in presenti articulo de persona Christi,
licet vocabulum abstractum sit, compositum tamen modum significandi, & sic
rationem concreti habere possit, etiam secundum ipsius Iesuitæ descriptionem in
Apologia Thesi 3. Ita quoque vox Homo, quatenus ratione Naturæ & Essentiæ
sue consideratur, & pro Natura humana ponitur: inter abstracta in Theologia
numeratur. De quo quia in Disput. I. à Thesi 340. & in Refutatione errorum
Iesuitæ à Thesi 206. Copiosè vereq; dictum est: eò Lectorem remitto.

Humanitas,
rationem con-
creti habere
potest.

Vox Homo,
inter abstra-
cta numerari
potest.

103. Nec quisquam nostrum negauit, quod ex Damasc. lib. 3. Cap. 4. con-
firmat Iesuita, vocem videl. Homo, & Filius hominis, quandoq; significare
hypostasim ex vna partium denominatam. Quòd verò semper directè personam
significet: hoc negamus. Inquit enim Nazianzenus in Epist. 1. ad Cledon. Deus
& Homo duæ Naturæ sunt: quemadmodum & anima & Corpus.
Et cum Symbolum Athanasij dicit: Christus est Homo ex substantia ma-
tris in seculo natus: hic certè vox Homo non significat personam aternam
Filij Dei.

104. Quid, quòd ipse Damascenus in verbis à Busæo citatis expressè
dicat: Deus & Homo E T de N A T V R A vsurpatur. Ut
cùm dicimus, Deus est incomprehensibilis substantia, & quòd
vnus est Deus. Sumitur verò etiam de hypostasibus. Idem re-
petit Cap. 11. Deus & communitatem Naturæ significat, & de
qualibet personarum vsurpatur, quemadmodum & Homo. Et
Cyrillus in oppositione ad Responsonem Theodoretī pro anathematismo 10. Il-
lud, Homo factus est: exponit per ista: non dedignatus est fieri hoc
quod nos sumus.

Damasc. lib. 3.
Cap. 4.

105. *Vt verò insaniam & stultitiam suam iusto Dei iudicio amplius prodat: ex refutatione Thes. 36. quedam huc transfert. In Thesi illa sic scribit: Christus Homo (quæ vox in concreto indicat personā) verè & realiter dicitur Filius Dei; quia Filius Dei verè & realiter H O M I N I Christo suam P E R S O N A M communicavit. Ad hæc annotavi: quòd hoc loco vox Homo non simpliciter personā Filij Dei habentem Humanitatem, sed Naturam humanam in concreto seu vnione cum Filio Dei significet: quia Filius Dei N O N P E R S O N A M S V A M, sed Naturæ assumptæ personam suam communicârit.*

Infania Busxi.

106. *Ad hæc euidentiſſima & inuicta, insanit Busæus: Hoc argumentum seipsum iugulare. Propositiones enim illas veritati non esse congruentes, nisi ratione vnionis & communicationis factæ. Hæc ratio secundum doctrinam nostram vera est: eâ autem iugulatur absurda doctrina Iesuitarum. Nam si vox Homo personam significare debet: & propositio illa, hic homo est Filius Dei: non nisi ratione vnionis & communicationis (quia videl. Filius Dei huic Homini suam personam communicavit) veritati congruens est: tum sequitur, quod Filius Dei personæ Filij Dei, quæ Naturam humanam habet, personam suam ratione vnionis & communicationis communicârit. Quæ absurdissima, heretica & inaudita esse, præ furore non intelligit Iesuita. Sed pergit insanire & scribere: Quare cum Homini A S S V M T O Filius Dei personam suam in illis propositionibus intelligatur C O M M V N I C A S S E: VOX H O M O non Naturam humanam præcisè, sed Naturam subsistentem vel P E R S O N A M Naturæ humanæ significare debet. Quod verissimum esse, paulò pòst fusius demonstrabimus.*

Fol. 17. f. 2.
Furor Iesuitæ.

107. *Cordatus Lector absq; dubio sine mea admonitione intelligit stupendam dementiam & excacationem Iesuitæ. Quid enim est homo assumptus, nisi homo ex anima rationali & humana carne subsistens, qui ex substantia Mariæ (secundum Athanasij Symbolum) in Deum assumptus est? Hunc hominem, non naturam humanam, sed personam Naturæ humanæ (per quam Iesuita intelligit æternam personam Filij Dei) significare D E B E R E; pro potestate Antichristiana stolidè & insulse, sine vlla ratione, imò euidentiſſima ratione reclamante, decernit. Et hoc, verissimum esse, ridiculè addit: quasi tanta ipsius autoritas sit, vt etiam sine ratione quiduis affirmanti & neganti, Lector confestim id credere teneatur. Et quidem hæc tyrannis iam olim obtinuit*
in re-

in regno Antichristi: at nos soli Verbo Dei fidem habere, eiusmodi autem portenta Iesuitica rejicere & explodere, didicimus.

108. Vocem H O M O vocabulum concretum esse, nemo negavit. Quod autem semper personam significet; nusquam scripserunt Autores Apologiae Concordiae. Et in loco à Iesuita citato, Capite nimirum, 1. fol. 15. interpretantur eam de Natura humana. Addentes: quod sub pretextu harum phrasium concretiviarum, (v. g. Christo Homini data est potestas aeterna) adversarij veritatis (vos Iesuitas & Calvinianos notantes) venenum suum occultent. Hoc autem illud ipsum est, de quo in praesenti loco disceptatur; quod nimirum vox Homo non Naturam humanam, sed personam Filij Dei aeternam, habentem Humanitatem, significet. Qua ratione Natura assumta (de qua sola, & non de Natura divina, Autores Apologiae agi dicunt) derogentur, quae Scriptura de datis in tempore refert.

Apologia Concordiae de voce, Homo.

109. Ex quo intelligit Lector, Iesuitam Spiritu vertiginis agitari, quod paulò antè Damascenum, & nunc Apologiae Autores in suam perniciem citat. Deinde, & hoc clarissimè patet; quod non ego affirmando, sed Iesuita negando, vocem Homo, in dictis enunciationibus idem significare quod Naturam humanam; turpissimè erret.

110. Alterum errorem esse dicit, quod contendam; veras esse has propositiones: Diuinitas Verbi est nata, crucifixa, mortua. Eas autem non simpliciter probavi: sed quomodo verae esse possint, ostendi: nimirum quia rectè secundum scripturam, Concilia & Patres Orthodoxos dicatur, Diuinitas seu Natura Verbi est incarnata, est caro seu homo facta; ideo has propositiones falsas non esse: Diuinitas Verbi quia incarnata, est carne vel secundum carnem ex B. Virgine nata, crucifixa, mortua. Nam qui antecedens vt verum concedit: is inde consequentia negare non potest.

De propositionibus: Deitas Verbi est nata, crucifixa, mortua.

111. Hic autem ex Epist. Athanasij ad Epict. exclamat Iesuita: Quis infernus ista eructavit? quis ita impius fuit, vt vel verbis diceret, vel animo cogitaret, ipsam Deitatem circumcisam fuisse? Verùm noli Athanasij voce nequiter abuti; & instar furiosi clamare contra rem, quam non intelligis. Athanasius enim contra portenta eorum exclamat, qui corpus ex Maria genitum, consubstantiale dixerunt cum Verbi Deitate: qui Verbum in carnem & prorsus corpus communtatum, Deumq; Verbum corpus esse factum, insaniuerunt. Hos, inquam, exclamatione ista execratur.

Fol. 17. f. 2. Infanus clamor Iesuita.

Mend. 77. 112. *Sed quod OMNIS Orthodoxa Antiquitas, stultum, impium, & blasphemum esse putauerit, asserere, Diuinitatem Christi esse crucifixam, mortuam, sepultam. eo nempe sensu quo ista modò expo-
sui: hoc falsissimum est.*

Fulgentius. 113. *Fulgentius enim (ipso quoq; Iesuita Thes. 77. referente) scripsit: Ve-
ra fides sicut SECUNDVM CARNEM crucifixam VIRTUTEM
DEI fiducialiter nouit & credit: Ita SECUNDVM CARNEM
crucifixam DIVINITATEM confiteri non abnuat. Christus
.n. Deus fortis sic est Deus, vt ipse sit Diuinitas sua: quemadmodũ
sic est fortis, vt ipse sit virtus sua. Similiter Augustinus in lib. contra Feli-
cianum Aria. Cap. 14. respondet: Sensit mortem DEITAS Christi par-
ticipatione humani affectus, quem sponte sua susceperat: Videlicet
in natura nostra mortali. Sicut seipsum in eodem libro Cap. 10. explicat: PRO-
PRIO (inquit) carnis gustauit VITA mortem. Quo sensu etiam acci-
pienda sunt Verba Augustini in Epist. 57. Per Caput nostrum reconci-
liamur Deo: quia in illo est DEITAS Vnigenita facta particeps
mortalitatis nostræ, vt & nos participes eius immortalitatis esse-
mus. Eiusmodi plurâ in patribus Orthodoxis inuenire licet.*

114. *Quomodo ergo Buseus non ex Patre mendacij more suo fabulatur;
quòd omnis Orthodoxa Antiquitas, stultum, impium, & blasphemum esse pu-
tauerit, asserere; Diuinitatem Christi esse crucifixam, &c?*

115. *Nec quicquam Concilia à Buseo adducta, contra nos faciunt. Nam
& nos ipsi cum illis sentimus & profiteamur: Stultum esse, crucis passio-
nem Naturæ diuinæ (sic absolutè positæ) applicare.*

116. *Ne autem fabulari, sed verum tueri videatur: probat ex Concilijs,
patribus, diuinis Scripturis & ratione inuincibili, Christum non secun-
dum Diuinitatem, sed secundum carnem passum, crucifixum &
mortuum esse: Passionemq; in Naturam diuinam non cadere.
Quem verò hic habet aduersarium? Cum quo digladiatur? Cùm nostri corde
idem firmiter credant, ore constanter confiteantur, & manu sepius scri-
pserint?*

117. *Nec pugnant, sed diuersæ sunt enunciationes istæ: Diuinitas Ver-
bi quia incarnata, secundum carnem passa & mortua est: & Diui-
nitas Verbi IN SE & per se est impassibilis. Quòd autem Diuinitas
Verbi nulla ratione potuerit ex virgine Maria nasci, crucifigi, mori: hoc dicere,
est im-*

est impium, blasphemum, hereticum & Nestorianum, QVO VNIVERSA
SALVS NOSTRA EVERTITVR.

118. Quia enim FILIVS Dei secundum Scripturam & Symbolum fidei
nostra ex Maria virgine natus, sub Pontio Pilato passus, crucifixus & mortuus
est: ab his certè attribuitis, DIVINITAS eius omni modo & ratione aliena
esse non poterit. Filius Dei enim & Diuinitas ipsius; non nisi ratione differunt.
Et, si Natiuitas, passio & mors Christi, nullo modo ad Diuinitatem eius perti-
nent: TVM ACTVM EST DE SALVTE NOSTRA.
Nam vt nudi Hominis Natiuitas, obedientia, passio & mors, Toti Generi hu-
mano salutem parerent; impossibile fuit. Ideo DEVM incarnari, Deum
pati & mori necesse fuit. Deus autem est sua Diuinitas: nec nisi ratione
differunt.

119. Adhæc respondeat Iesuita, cum socijs huius impietatis, Calvinistis sci-
licet. Et nisi pestes ac euersores salutis communis, esse & haberi velitis: necesse est,
vt impium & hereticum vestrum errorem retractetis.

120. Ad testimonia Fulgentij & Augustini, stolidè oggannit Iesuita: Fol. 18.
Me illa vanissimè obijcere: cùm ipse ea Thesi 77. contra vbiq̄i- Mend. 78.
tarios produxerit, vt probaret, S. Patres sæpenumero IMPRO-
PRIE locutos esse; & abstracta pro concretis, nomina natura-
rum pro nominibus personarum, posuisse.

121. Ergone quia vesanus Iesuita hoc spumat; ideo verum est, me ista
vanissimè obieciſſe? Et quia Patres abstractis pro concretis vtuntur: ergo
ipſorum locutiones sunt falsæ, stultæ, impiæ, blasphemæ? Imò quia Scri-
pturæ sacra vsitatissimum est, abstracta pro concretis, & nomina Na-
turarum pro nominibus personarum ponere: ergo ista locutiones sunt im-
proprie, falsæ, stultæ? Quod nemo nisi stultus insanus & blasphemus Ie-
suita dixerit: qui autorem sermonis, & factorem linguarum, rectè &
proprie loqui docere præsumserit: & pro impudentia effronte phrases Spiritus S.
tanquam improprias reprehendere audebit?

122. Diuinitatem CHRISTI non secundum carnem assumtam,
sed IN SE doluisse, & carni compassam esse: vnà cum Augustino
& Fulgentio tanquam hereticum damnamus. Proinde frustra seipsum
fatigat Iesuita, probando quod nemo nostrum negat: & aërem ferit,
nullo existente aduersario.

123. Cate-

123. Ceterum, firma & immota adhuc stat Assertio nostra: quod quia Diuinitas Verbi incarnata sit, ideo secundum carnem nata, crucifixa & mortua, rectè & Orthodoxè dicatur. Nec satis est, vomere Iesuitam: Hoc argumentum seipsum iugulare. Euidenti ratione, quae Lectori satisfaciat, probandum id est.

124. Nec quicquam nobis aduersatur Damascenus: sed vnà cum ipso statuimus, quod non possumus simpliciter dicere: Verbi natura est passa. At dicere tamen possumus; quod Natura Verbi, quia incarnata, secundum carnem passa sit.

Damascenus. 125. Et licet Damascenus lib. 3. Cap. 11. scribat: Se non audiuisse, Verbi naturam carne passam esse: nos tamen illud ab Augustino & Fulgentio, longè vetustioribus Damasceno, audiimus. Imò, si Iesuita credimus in Thes. 77. tum Paulus in 1. Cor. 2. apertè scripsit, Dei virtutem & sapientiam (in abstracto) crucifixam. Et quia de Deo Verbo ista enuntiare, nec impium nec blasphemum est: nec de Diuinitate ipsius sensu dicto ista predicare, impium vel blasphemum erit: Cùm ratione duntaxat differant.

Fol. 19.
Mend. 79. 126. Porro vbi Damascenus lib. 3. Cap. 11. scribit: Verbum carnem factum esse; idem significare, quod ipsam Verbi hypostasim immutabiliter factam esse carnis hypostasim. Hic Iesuita vertigineraptus, iubet me notare: Carnem non significare hîc, E X T O T I V S (scilicet) Antiquitatis C O N S E N S V; tantum Naturam humanam perfectam, vel Hominem perfectum, sed hominis P E R S O N A M. At quiuis sane mentis, qui obiter saltè verba ista legit, statim intelligit, Damascenum hoc velle: quod hypostasis Dei Verbi facta quoq; sit carni hypostasis; dum nimirum caro, propria & naturali personalitate destituta, nec seipsa subsistens, in hypostasim Verbi assumpta est, vt in illa subsisteret. Sicut in precedentibus seipsum disertè explicat. Nec vnquam somniauit Damascenus: quod caro significet personam Hominis, hoc est, vt Iesuita intelligit, aeternam personam Filij Dei, quae habet carnem.

127. His quod addit Damascenus: Quod autem Diuinitas (Verbi, de qua sermo est:) homo facta aut incarnata sit, aut humanam Naturam assumserit; nusquam audiimus. Etsi haec phrasès non ita vsitatae sint, vt istae: Deus factus est Homo: & homo factus est Deus: tamen sensu aliquoties repetito, nec falsa, nec impia sunt. Nam quia incarnari, secundum Cyrillum, nihil aliud est quàm hominem fieri: & Diuinitas Verbi incarnata dicitur: Consequens est, quod non perperam dicatur, Diuinitatem Verbi factam

factam esse carnem seu Hominem. Hinc Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, &c. Cap. 31. scripsit: DIVINITATEM suā, (qua in cælo manens descendit in terram) NON indignam censuit nomine Filij Homi- nis; sicut carnem suam dignatus est nomine Filij Dei.

128. Ostendere quidem conatur Iesuita, quòd rectè vereq; dicatur; Diuinitas Verbi carni est vnita: non autem rectè dicamus: Diuinitatem esse natam vel passam: quia vniri sit conditio propria Naturæ in com- muni: & propriè dici, vnā Naturam alteri vniri, materiam for- mæ, animam corpori, Diuinitatem carni, carnem Diuinitati: at nasci, pati, crucifigi, esse conditiones naturæ peculiaris, creatæ videlicet & mortalis.

129. Verùm, iam antè repetijmus: nos non simpliciter, sed cum determi- natione admittere propositiones istas: Diuinitas est nata, passa, nempe, secundum carnem. Deinde, quamuis vniri, sit conditio propria naturæ: non ta- men qualibet natura cuilibet vnitur: sed naturam finitam naturæ finitæ & proportionabili vniri propriè conuenit. At infinitam finitæ, personaliter copu- lari: hoc stupendum & secundum naturalem potentiam impossibile est. Et quod magis suspiciendum: non Naturā Naturæ immediatè vnita est, vt in rebus crea- tis materia formæ, anima corpori, sed persona diuina & infinita Naturæ finitæ vnita est. Et licèt nasci, pati, crucifigi, sint per se naturæ creatæ & mortalis: sicut tamen hæc Filio Dei realiter tribuuntur, ita Natura eius, sensu sape dicto ab il- lis excludi nequit. Et tam Rationi absurdum est, personam infinitam carni fini- tæ personaliter vniri, quàm naturam diuinam secundum carnem nasci, pati, mori.

130. Ad hæc, nunquam simpliciter probaui aut concessi has enuntiationes: Diuinitas Verbi est Homo, nata, crucifixa, mortua: sed quo sensu fidei analogo admitti possint, declarauit: hoc nimirum, quòd Diuinitas quia incar- nata, secundum carnem nata, crucifixa & mortua, Orthodoxè dicatur.

131. Porrò, quia Iesuita semel perfricuit frontem, multisq; modis testa- tum fecit, se à spiritu mendacij totum rapi & agitari: nec istud ipsum scribe- re & mentiri puduit, quod licèt apertè fateri reformidemus: sentia-
Mendac. 10.

mus tamen, Diuinitatem Verbi carni compassam, & non tantum carne passam. Quam blasphemiam hæc mea sequentia spirent, vbi dico: Natura Verbi communicans Naturæ humanæ suam propriam maiestatem, simul quoq; consors facta est affectionum illius; quas vnà cum Naturæ participatione sibi proprias fecit.

E

Quid

Passionem Filij Dei, ad ipsius quoque Deitatem pertinere.

Quid hic blasphemia, profane Iesuita? Negas né, Naturam Verbi unitam esse carni? & per unionem, participem factam esse Naturam humanam? Quod si Naturæ: affectionum quoque illius, (quæ à Natura separata non fuerunt) non immediate, sed in Natura humana particeps & consors facta est: seu, vnâ cum Natura humana passiones quoque eius sibi proprias fecit. Hoc si verum non est, & vt Augustinus loquitur, si DEITAS Vnigeniti, mortalitatis nostræ particeps facta non est, nec nos immortalitatis participes erimus. Hic saltent Iesuitæ & Calviniani.

Communicationis mutue dispar ratio.

132. Nec quia in Censura Thes. quartæ & alibi confiteor: Inter naturas, diuinam & humanam, vtrinque factam esse realem communicationem: Ideo quoque Diuinitas immediate passa esse dicitur. Nam semper addimus; quod mutue istius communicationis non sit par ratio; propter diuersitatem naturarum. Diuina n. naturâ, quia immutabilis est, IN SE non afficitur vel imperfecta redditur per imperfectiones Humanitatis, sicut Natura assumpta perficitur per glorificationes Deitatis: sed per assumptionem Naturæ humanæ in personale consortium, affectiones illas sibi proprias fecit, vt passio Christi non nudi Hominis, sed ipsius quoque Dei passio sit, & sic ad Deitatem quoque pertineat. Quæ efficit, vt sola passio Christi, toti Generi humano salutaris sit.

D. Iac. Andr.

133. Eadem planè mens & sententia est Doct. Iacobi Andr. in Disput. Vvitemb. Thes. 156. & seq. cum fatetur: quod pati & mori ad Diuinitatem quoque pertineat. Et in Colloq. Montbelg. pag. 239. ista leguntur: Siue Deus, siue Diuinitas nominetur, proprietate suæ Naturæ impassibilis EST & MANET semper, siue extra unionem siue in unionem consistens: sed propter unionem cum Natura passibili factam personalem, à passione nequaquam excluditur. Cùm enim corpus assumptum Filij Dei proprium fuerit: non poterat sine Deitate quicquam illi passionum accidere, quod non etiam in ipsam Deitatem redundaret. Hic quamuis ex diuersis & multis scriptis Doct. Iacobi Andr. planissimè constet; ipsius fidem, doctrinam & confessionem fuisse, quod Diuinitas Verbi passiones Humanitatis in se non recipiat: tamen contra mentem auctoris, ex verbo REDUNDARE fingit contradictionem: & ludit, quomodo in Deitatem passiones redundent, si non recipiat in se quod in eam redundat?

134. Respon. Quod si Iesuita vir æquus fuisset: Verbum redundare, pro referri aut pertinere, accepisset. Quo sensu Budæus illa verba Ciceronis pro Ligario

gario accepit: Laudem adolescentis propinqui etiam existimo ad meum aliquem fructum redundare. Et sicut facinus aut pœna in aliquem redundare, à probatis autoribus dicitur: ita quoq; Doct. Iacobus Andr. in nominato Colloquio pag. 257. Iniurias & contumelias Christo illatas, in Deum Filium redundasse, quas ipse patienter tulerit, rectè cum asserat; non tamen à diabolica calumnia Iesuitæ tutus esse potuit.

135. Idem prorsus cum D. Iacobo Andr. sentiunt & scribunt, Lutherus, Brennius, Selneccerus, Andr. Musculus, & reliqui Doctores nostri: quòd Diuinitas Verbi, sicut ipsum quoq; Verbum IN SE impatibilis sit & maneat: & tamen passio & mors Christi ad eam quoq; pertineant propter vnionem & communionem personalem: nec ab ea arceri possint aut debeant, nisi salutem nostram euersam velimus. Hoc licet sapissimè repetatur & obijciatur Iesuitis & Calvinianis, pergunt tamen impudenter alumniari, & negare realem communicationem passionis: etsi nihil, quod speciem veritatis habeat, ad causam respondere possint, cur videl. Diuinitas Verbi à passionis consortio diuelli nec possit nec debeat. Et malunt salutem suam in certissimum discrimen vocare, quàm errorem confiteri, ac nobiscum magnum pietatis mysterium (quòd Deus non absque Deitate sua salutis nostræ causa passus est) adorare, simpliciq; fide honorare.

136. Eodem sensu Liber Concordiæ profitetur: Totam personam Christi pro nobis passam, crucifixam, mortuam, ad inferos descendisse. Quia hæc ad Deitatem quoq; pertinent: sine qua passio & mors Christi toti generi humano salutaris esse non potuisset. Hinc verò non licet concludere, quòd pariratione passio & mors Christi ad vtramq; Naturam pertineant: aut quòd vtraq; Natura IN SE passa, & Christus non tantum secundum carnem, sed etiam secundum Diuinitatem crucifixus sit; vt Buseus cum suo Gregorio euincere conatur. Et hoc stolidum cauillum impostores isti potius defendere, quàm salutem hominum per Deitatem tueri & conseruare volunt.

137. Nam sicut mors hominis non ad corpus solùm, sed ad animam & corpus simul pertinet, quamuis anima immortalis sit: ita licet diuina Natura Verbi impatibilis sit & maneat, ad eam tamen passio & mors Christi pertinet, si passio hæc, passio Dei & infiniti precij esse debet. Et quemadmodum Humanitatis attributa (pati videlicet & mori) suo modo Diuinitati quoque Verbi competere ostendi: ita etiam hæc enunciationes,

Humanitas Christi est Deus, omnipotens, omnipræsens, in priori Disput. eiusq³ Apologia contra impietatem Iesuitæ, veras esse demonstravi, & in sequentibus capitibus demonstrabitur amplius.

138. Nec inter nos disceptatur; in quibus propositionibus mysterium incarnationis potius vertatur. In eo nos acquiescimus, quod Scriptura in hoc mysterio tradendo vtrumq³ reuelat; nimirum, vt credamus, has propositiones veras esse, Verbum factum est caro passibilis, mortalis: item, Filius Dei homo factus & passus est pro nobis: Vtq³ credamus, quod homo factus est Deus impassibilis, immortalis, vt nos mortales immortalitatis participes redderemur. Frater enim noster bona sua nobis communicat; Qua de causa etiam Filius Dei naturam nostram in communionem sui assumpsit, vt nos iustitia & vitæ per naturam nobis cognatam consortes faceret.

139. Non videt autem excæcatus Iesuita, quod omnes hæc propositiones falsæ sunt, si nulla est realis communicatio naturarum in Christo. Quomodo enim Deus erit homo nobis consubstantialis, si nullam realem communionem cum Humanitate habet? Et quomodo Homo ex Maria assumptus erit Deus, si nulla ipsi κοινωνία cum Deitate Verbi intercedit? Ita quoq³ falsissima erit propositio, Deus est passus, mortuus: quia negatur Deo communicatio realis cum natura humana eiusq³ proprietatibus. Et quemadmodum Nestorius à Synodo Ephesina condemnatus est, quod negaret Deum natum ex B. virgine, passum, crucifixum, mortuum: ita quamuis Iesuitæ & Calviniani disertis verbis hoc non negent: necessariò tamen ex peruersa & impia ipsorum doctrina id sequitur: & propterea iure à nobis absq³ omni calumnia hæreseos accusantur et damnantur.

Secundum Iesuitas & Calvinianos: Deus nec Homo, nec passus, nec mortuus est pro nobis.

Contra Thesin 14. Iesuitæ.

140. Contra Thesin 14. Iesuitæ negavi: Doctrinam de persona Christi CONFIRMARI ista Regula Philosophica: Naturam omnem denominare subiectum vel, Suppositum cui vnita est, siue accidentaliter, siue substantialiter: hac subiecta ratione, quod quemadmodum vnio hypostatica duarum naturarum in Christo nec accidentaliter nec essentialiter, sed planè singularis est, nec simile in rerum natura habet; Ita quoq³ hunc modum prædicandi, Christus Homo est Deus: & Deus est homo: nec essentialiter nec accidentaliter, sed singularem & inusitatum, realem tamen esse.

141. Hoc quia Iesuita infringere non potuit: pro naturâ sui spiritus agit; & ad momentum concedit, quod statim iterum euertit. Scribit enim, vt vnio personalis in Christo res supernaturalis & inusitata est: Sic IN-

VSITA-

VSITATA S esse huiusmodi prædicationes (quod multi etiam è Scho-
lasticis doctoribus docuerunt) NON INFICIAMVR.

Propositiones
de Christo
inuitatas ef-
fe.

142. Hic notet Christianus Lector, quod prædicationes illas INVSITATA S esse concedat. Quod è vestigio iterum negat, dum eas vsitata & commu-
ni Regula nõ repugnare mentitur, addens: Neq; tamen ideo (vt vbiq; ista Mend. 81.
cauillatur) imperitè huc Regulam Philosophicam transcripsi.
Mei enim instituti TANTVM erat, ostendere; inuitatam illam
prædicationem NON repugnare etiam sanæ Philosophiæ legi-
bus. Imò mentiendo dixisti: Regulam illam Philosophiæ PLANE
CONFIRMARE doctrinam istam. Quod falsissimum est. Et secun-
dum iam datam responsionem Iesuitæ, eiusq; insanum cerebrum: eadem prædi-
cationes erunt inuitatae, sicut ipsa vnio est inuitata: & simul quoq; vsitata
erunt, quatenus conueniunt Regula vsitata, hæc q; confirmat illas.

143. Deinde, Censuram meam, quamuis breuem, turgere men-
dacijs, homo ex mendacijs conflat, ait. Et primum quidem esse, quod dico: Mend. 82.
has propositiones, Homo est Deus: &, Deus est Homo: secun-
dum Iesuitas, esse essentielles. Id autem hac ratione confirmo. Nam si vox
Homo (vt hætenus contendit Iesuita, & in Thes. 16. & 17. amplius vrgebit)
significat personam Filij Dei in Natura humana subsistentem: & vox Deus si-
gnificat personam Filij Dei habentem Deitatem; quiuis non distorti & Iesuitici
cerebri homo intelligit, has propositiones secundum Iesuitarum stultitiam, es-
senciales seu identicas esse, & hoc sonare: persona Filij Dei in Natura hu-
mana subsistens, est Deus seu Filius Dei. Et, persona Filij Dei ha-
bens Deitatem, est persona Filij Dei habens humanitatem. An hoc
insitari potes? & quomodo hæc propositiones non sunt identicae? Vbi ergo menda-
cium? nisi te mentiente, negando id quod verè de vobis scribitur.

144. Postea subieci: Si verò in propositione; Homo est Deus;
vox Homo non pro persona, sed pro Natura humana accipiatur
(vt nos accipimus eam:) tum secundum Iesuitas & socios impietatis
Caluianos, verbalem tantum prædicationem fore: cum illorum
profana opinione nulla realis communicatio Naturæ humanæ
cum natura Verbi intercedat.

145. Hic mentitur Iesuita: Me assuere aliud mendacium, vt prius Mend. 83.
illud CONFIRMEM. Intelligit autem Lector; me in hac posteriori asser-
tione, diuersum quid contra Iesuitam probare: (videl. verbalem duntaxat præ-
dicationem fore) nec prius illud de essentialibus prædicationibus confirmare.

146. *Quid verò Iesuita ad obiectum? Ego (inquit) nec realem nec verbalem admiserim esse prædicationem in illa significatione: quia hæc prædicatio, Humana natura, vel Homo SECUNDUM HUMANITATEM est Deus, absolutè est falsa: vt alibi probatum est.*

147. *Hic autem non queritur, quid Iesuita pro amentia sua admittat vel non: sed quid ex doctrina ipsius peruersa necessariò sequatur. Deinde, hanc prædicationem: Humana natura Christi, vel Homo ex Maria virgine assumtus est Deus: absolutè falsam esse: nunquam abs te vel alio Antichristiano Iesuita probatum est. Sed ego eam veram esse, ex Literis diuinis & patribus Orthodoxis confirmaui.*

Mend. 84. 148. *Quòd autem hæc propositiones: Natura humana seu Homo assumtus est Deus: & Homo ille SECUNDUM Naturam humanam, seu QUATENUS est Homo, est Deus: nobis æquipollentes sint; & vt hæc posterior, ita quoq; prior, absolutè falsa sit: hoc tuum proteruum & impudentissimum commentum est, quod omni probatione caret.*

149. *Tertium mendacium esse, ait, quod scripsi: Iesuitam prædicationes has; Christus Homo est Deus: & Deus est Homo: suæ Regulæ accommodare ausum non fuisse. Cùm enim eas vel essentielles vel accidentales appellare debuisset: ipsum titubantem nugari & balbutire, rectè Christum hominem dici Deum, & Deum hominem, non verbaliter tantùm, vt quidam Calvinistæ fabulentur, sed realiter. Hæc me verè obiecisse, agnoscet Lector, si (quod petit Iesuita) perlegerit hanc Thesin & candidè iudicauerit. Sunt q; inanes præstigia, quæ de reali prædicatione garrit. Nam secundam ipsius peruersionem; Deus & homo essentialiter de se inuicem prædicantur. Quod in Theologia intolerabile, & anathemate dignum est.*

Mend. 85. 150. *Addit aliud putidum figmentum, quod in Thesi præcedente PROB A V E R I T, communicationem idiomatum, hæcque prædicationes, Homo est Deus, & Deus est Homo: ex sola vnione ambarum naturarum in diuina persona, non autem ex communicatione vbiquitaria (vt in Thesi præcedente loquitur) proficisci.*

151. *Verùm, Non quia Scriptura dicit: Deum Verbum factum esse carnem: Autorem vitæ interfectum: Dominum gloriæ crucifixum:*

fixum: Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei: Antequam Abraham fieret, ego sum, &c. Ideo propter solam vnionem, sine vlla communicatione (quam nos docemus) vera sunt propositiones, de quibus in Censura Thesisi precedentis dictum est.

152. Nam vt tantum differam de propositionibus, Homo est Deus, & Deus est Homo: si in his, secundum stultam & absurdam opinionem Iesuita, vox Homo significat personam Filij Dei in Natura humana subsistentem: tum falsissimum, imò hæreticum est, quod EX VNIONE proficiscatur, vt Homo, id est, persona Filij Dei habens Humanitatem, sit Deus.

153. Similiter stulta & absurda erit altera propositio: quod propter vnionem duarum Naturarum, Deus, id est, Filius Dei sit Homo, id est, persona Filij Dei habens Humanitatem.

154. Non minus falsum est, quod pergit nugari: Se in hac Thesi 14. Mend. 26.
DECLARASSE ex eodem fundamento vnionis, conuenienter Regulæ Philosophicæ, cognoscere nos posse, sit nè realis, an verbalis in illis propositionibus prædicatio. Nam ista propositiones nec conueniunt Regulæ prius allatæ: nec ex vnione conditio prædicationis cognosci potest, si videlicet significatio Iesuitica vocis Homo consistere debet.

155. Adhæc; nec secundum Regulam à Iesuita propositam, & exemplis physicis extra propositum declaratam (cùm potius propositiones de Christo illi accommodare debuisset) concludendum fuit; prædicationem in illis propositionibus realem esse. Sed ostendendum erat; qua ratione & quomodo existimet illas conuenire Regulæ Philosophicæ: & quomodo hæc Regula doctrinam illam confirmet: quod initio asseruerat.

156. Falsum præterea esse dixi; quòd sicut quælibet Natura creata suæ hypostasi vel supposito, sic in Christo duas naturas in vnâ hypostasi Filij Dei non accidentaliter, nec essentialiter, sed subsistentialiter seu subsistendo colligatas esse. Hic non negaui, verè dici: In Christo duas naturas vnitas seu colligatas esse hypostaticè. Sed comparisonem Iesuita, ineptam & falsam esse confirmo: propterea quòd quælibet natura creata cum sua hypostasi essentialiter vnum sit: quod de vnione duarum naturarum in Christo statui nequit. Deinde, de Diuinitate Verbi, et naturis creatis (Humanitate Christi excepta) non nisi improprissimè enunciari potest, quod suæ hypostasi colligatae sint:
Cùm

Hypostasis
quid.

Cum hypostasis sit ipsa substantia vel Natura rei singularis in se subsistens vna cum proprietatibus & accidentibus.

157. Ex his nunc iudicet Lector; vtrum mea Censura, an vanissima Apologia Iesuita, mendacis turgeat. De hac certè verissimè dici potest, quod ex mendacis, erroribus, peruersionibus, nugis, & similibus vanitatibus tanquam suis partibus essentialibus & integralibus (vt huc vsq; demonstraui, & porro non minus euidenter probabitur) consuta sit.

Contra The-
sin 15. fol. 21.
Mend. 87.

158. In Thesi 15. mentitur: Vanissimam Smidelini & Lutheri calumniam esse, quod Doctores Scholastici has phrasas de Christo; Hic homo est Deus: hic puer Filius Mariæ est Creator cœli & terræ, &c. non relinquunt in suo genuino & proprio sensu; vt nimirum significant, Deum & hominem seu Filium Mariæ & Creatorem, esse vnum (personale:) sed ita loquantur & sua opinione rectius: Homo est Deus, id est, Filius Dei sustentans humanam Naturam, est Deus. Quia necesse sit subiectum & prædicatum pro eodem supponere. Item, Filius Dei sustentans humanam Naturam in pueritia, est Creator Mundi.

Luth de trans-
sub. Tom.
Vvitem. 2.
fol. 228.

159. Hæc ex Luthero transcripta, de Scholasticis verissimè dici, nemo ignorat, nisi qui in tenebris ipsorum versatus non est. Nec opus fuit, me cum tædio Lectoris nugas ipsorum producere: Cum ipse Iesuita in Thesi 18. fateatur, quosdam Scholasticos sic exponere hanc propositionem: Homo est Deus: hoc est, Filius Dei, quatenus sustentat humanam Naturam est Deus. His tuis verbis Lutherum à calumnia & mendacio purgo: nec ipsum, sed te (negando hic quod postea concedis) mentiri, ostendo.

160. Deinde, nec Lutheri nec Doct. Iacobi Andr. hæc verba sunt: Phrasas istas, hic Homo est Deus: Hic est Filius meus dilectus: Scholasticis NON PROBARI: Sed dicit Lutherus; Eos hæc locutiones nõ relinquere, quòd Deus & homo vnũ sint. Nec addit: Ipsis MAGIS probari alias propositiones: Sed eos sic loqui ait: homo est Deus, id est, Filius Dei sustentans humanam Naturam, est Deus: repetens nimirum priorem propositionem, adiuncta interpretatione Scholasticorum.

161. An verò doctrina tua, (quam ex fundamentis Theologia refuto) pia sanaq; sit, vel potius impia, absurda, blasphemica, heretica: deinde, an ego, quantum ad syllabas & verba tantum, sed si spectemus sensum, nullo modo S. Theologiae Professor sim: de hoc iudicabit æquus censor.

Mend. 88.

162. Doctrinã Lutheri de capitibus Religionis Christianæ à TOTA Antiqui-

tiquitate condemnatam esse: *mentiris Iesuita*. Hanc enim scriptis Antiquissimorum Patrum, Prophetarum & Apostolorum, conuenire, ita luculenter & euidenter à Nostris demonstratum est, vt tui gregales iam pridem detractarint ex illa antiquitate cum Nostris conferre. Vnde spontè sequitur; Te iterum veritati parcere conuiciando; quòd doctrina Lutheri Matæologia potius, quàm Theologia dicenda sit. Quæ contumelia redundat quoq; in Scripturam diuinam; qua Lutherus doctrinam suam contra tuos Manipulares potenter & inuictè tutatus est: & Papisticam doctrinam esse falsam, impiam, hereticam, blasphemam, firmissimè demonstrauit.

163. Quòd autem Iesuita cum suis Scholasticis, sensum alienum istis propositionibus affinixerit: in mea Assertionè, Disputatione I. eiusq; Apologia ita probatum est, vt nihil præter pudenda, & conspuenda contra ea proferre potuerit.

164. Cumq; Iesuita negare non possit: Quosdam Scholasticos propositiones nominatas modo dicto exposuisse: nugatur, nullum ex illis esse, qui vocem sustentationis eo sensu accipiat, quo nos: CUM omnes, C E R T V M tantum modum sustentationis intelligant, quo Natura humana subsistendo velut actu primo, in persona Verbi sustentetur.

De sustentatione Naturæ humanæ in persona Filij Dei.

165. Respon. diuersissima esse, Naturam humanam actu primo in persona Verbi subsistere: & Naturam humanam in persona Verbi sustentari. Nam per hoc posterius, actus secundus denotatur; quocunq; tandem modo sustentatio illa fiat. Nec verbo sustentandi, mysterium illud in propositionibus dictis, vel minimum explicatur.

166. Sudat quidem Iesuita in Thes. 20. vt explicet; Quomodo Natura humana in persona Verbi subsistens sustentetur. At de eo nemini litem mouimus. Nec quæstio est de modo sustentationis: sed an rectè & dextrè propositio illa, hic Homo est Deus: per verbum sustentandi explicetur. Quod nos inficiamur: & de hoc controuertitur.

167. Siue autem per Verbum subsistendi siue sustentandi, propositiones illæ sensu Iesuitico & Scholastico declarentur: alienus & absurdus is est. Sicut in præcedentibus demonstratum. At Iesuita aures & cor ita obturauit, vt stolidam illam absurditatem iam sepe repetitam non intelligat.

168. Id ipsum quoq; sequenti Thesi euidentis est, vbi scribit: Luculentum taliq; Propheta dignum mendacium esse, quòd doctrina seu expositio propositionum, (hic Homo est Deus: hic puer Filius Mariæ

Contra The-
fin 16.
Mend. 89.

F rix

riæ est Creator cœli & terræ) quam in Thesi præcedente verbis Lutheri retulimus, Scholasticorum doctrina sit.

169. Verùm, pro vertigine sua statim iterum absoluit Lutherum à mendacio; & tacitè se ipsum mendacij reum agit, confitendo, quòd Scholastici priores illas propositiones omnes conuenienter doctrinæ antè allatæ probent; posteriores autem non item. Hic perspicuitatis causa meminerit Lector: Priores propositiones vocari & esse in Luthero, has sequentes: hic homo est Deus: &, hic puer Filius Mariæ est Creator cœli & terræ. Posteriores verò esse: Homo est Deus, id est, Filius Dei sustentans humanam Naturam, est Deus: Et, hic Filius Dei sustentans humanam Naturam in pueritia, est Creator mundi.

170. Priores illas, dicit Iesuita Scholasticos probare: non autem simpliciter, uti sonant: sed inquit, conuenienter doctrinæ antè allatæ. Hæc autem est doctrina illa; quòd vox Homo significet personam Filij Dei in Natura humana subsistentem, seu Naturam humanam sustentantem. Quomodo ergo verum est, quod Iesuita perfricta fronte negat, Scholasticos, posteriores propositiones, seu expositiones priorum, modò positas, probare.

171. Cæterùm, quod modò negauit, protinus iterum cõfirmat, immediatè addens: Nam ut hæc propositio, Homo est Deus, commoda sit & veritati consentanea; certam voluit voci Homo subiectam esse sententiam, ab attributi seu prædicati significatione hauriendam. Id est, Nolunt ut vox Homo genuinam & propriam significationem retineat, & significet Hominem ex Maria in Deum assumptum: sed ut Iesuita in fine huius Thesise se ipsum declarat, si vox Homo significet personam diuinam seu Filij Dei in natura humana subsistentem: tum propositio, Homo est Deus, verissima est, & non hæreticissima.

172. Intelligit procul dubio æquus Lector, nec vanissimam calumniam, nec luculentum mendacium Lutheri esse, quod de Scholasticorum doctrina scripsit: sed Iesuitam pro ingenio spiritus sui mera mendacia euomere, & putridis calumnijs in fontes grauare.

Fol. 22.

173. In Apologetico dicit: Duo esse, quæ neget Scholasticos docuisse; & tamen illis falsò affingi à Luthero. Primùm, quod scripserint: Magis probandam esse hanc propositionem, Homo est Deus, id est, Filius Dei sustentans humanam naturam est Deus: quàm hanc, hic Homo est Deus. Quamuis autem Lutherus verba ista de Scholasticis non scripserit, sed ea, quæ in Censura Thesise 15. retuli: res tamen ipsa vera est.

va est, quod propositionem illam adiuncta interpretatione magis probarint, quam nudè & simpliciter positam secundum nativam significationem vocis Homo.

174. Alterum esse ait, quod scripsisse fingantur: Filium Dei sustentare Naturam humanam velut ACTU SECUNDO. Respon. Non tribuit Lutherus Scholasticis; quod ipsi maiusculis hic notata scripserint: sed ex ipsorum stulta & peruersa interpretatione collegit, ipsos negare Filium Dei esse Hominem ex Maria assumptum, actu primo; & sentire, Filium Dei sustentare Naturam humanam velut actu secundo. Nam per verbum sustentare, actus secundus denotatur; quicquid etiam blateret Iesuita de modo sustentationis: de quo nobis controuersia non est.

175. Postea querit ex me Iesuita: qua sit genuina significatio vocis HOMO? Respondet ipse: Nonne, habens Humanitatem? Hoc dicere volens: quòd significet personam Filij Dei habentem humanitatem. Et hinc iterum triumphat & tripudiat in suo sterquilinio: querens, & mihi insultando querens, vbi ademi hanc significationem propositioni, Homo est Deus? Quid dicis? Negas ne axioma Dialecticum; Talia esse subiecta, qualia sunt prædicata? An negas, genuinam significationem subiecti esse hauriendam à significatione prædicati?

176. Parcius quaeso: & noli me tuis acutis questionibus penitus obtundere. Respondeo autem, mi Domine Matæologe: genuinam significationem vocis Homo in propositionibus istius Mysterij, non ex Logica, sed ex Theologia & Orthodoxa Antiquitate hauriendam esse. Ex his ego in præcedentibus ad oculum demonstravi: hanc tuam significationem absurdissimam & hæreticissimam esse. Quod tu nulla ratione infirmare potuisti, nec poteris in æternum. Et quemadmodum Philosophicam Regulam de prædicationibus, doctrinæ de persona CHRISTI, nequaquam conuenire in Censura Thesis 14. hac ratione ostendi, quòd sicut unio Naturarum in persona Christi supernaturalis & inusitata planè sit, ita quoque prædicationes inde natas inusitatas prorsus esse, nec conuenire Regulæ vsitatæ: Sic quoque nego; (at cum venia Iesuitæ; ne fortè ad hanc vocem, furiosi instar, caput parieti impingat) Axioma Dialecticum in prædicationibus regularibus verissimum, propositionibus inusitatis accommodari posse. In his enim disparata & essentiæ ratione longissimè remota, de se inuicem prædicantur.

177. *Et, si verum est, quod fol. 20. f. 2. his verbis scripsit: Ut vnio personalis in Christo, res supernaturalis & inusitata est: Sic INUSITATA S esse huiusmodi prædicationes, non inficiamur: quomodo ergo axioma Dialecticum hîc vrget? quod non nisi in prædicationibus regularibus & vsitatis locum habet.*

Contradictio
Iesuita.

178. *Simile mendacium est, quod in propositione contraria; Deus est Homo; admiserim axioma illud verum esse. Hoc quidem concessi; quod vox Deus ratione adiuncti prædicati, nunc amplio rem, nunc adstrictiorem sibi vendicet significationem. Sed quod axioma hoc Dialecticum, Talia esse subiecta, qualia sunt prædicata: Propositioni, Deus est Homo, quadret: hoc me admisisse, loqueris vt Iesuita rara fidei.*

Mend. 90.

179. *De vocabulis; Humanitas & Homo; nec non de stulto cachinno tuorum Dialecticorum, respondi in Disputatione priori eiusq; Apologia: quo Lectorem remitto. Nec satis est, te pro stolidâ autoritate Iesuiticâ, (quæ apud mancipia tua fortasse non nihil ponderis habere potest) crepare: Verùm & ego dico, in prima propositione; Homo est Deus; vocem Homo retinere suam genuinam significationem: idemq; esse, quod persona Filij Dei habens Humanitatem. Nequaquam enim, quia tu per ineptam stultâ & ridiculam tautologiam sepissimè non sine radio Lectoris id repetis: ideo verum est. Ego falsissimum istud esse, absurditatem propositionis monstrando, probavi; probog; in sequentibus. Quod autem ego genuinam & propriam significationem voci Homo non semel detraxerim: non stupidus Lector te hoc mentiri ex prædictis iudicabit.*

Fol. 22. f. 2.

180. *Postea, vbi scripsi: Vocem Homo, in propositionibus dictis à nativâ significatione per Scholasticos & Iesuitas transferri; nec ipsis designare compositum ex anima rationali & corpore Deo Verbo vnitum, siue Naturam humanam in persona Verbi subsistentem: sed enunciatione hac inuersa, secundum Iesuitam significare personam diuinam in Natura humana subsistentem, vt postulet natura prædicati: Hac quomodo vanissimus & reprobâ mentis homo, impudentis (vt vocat) mendacij convincere conetur, attendat Lector.*

Mend. 91.

181. *Si (inquit) vox Homo nobis idem est, quod cum Damasceno aliquoties dixi, atq; habens humanitatem: & Humanitas non est, nisi composita sit ex anima rationali & corpore: & rursus id quod habet humanitatem illam compositam est persona Verbi: quomodo sine manifesta antilogia potuimus inficiari, vocem*

Fol. 22. f. 2.

cem illam designare compositum ex anima rationali & corpore Dei Verbo vnitum?

182. Vbi Lector initio notet: quod per mendacium in societatem absurditatis Damascenum pertrahat. Nam vt supra huius Doctoris verbis ostendi: vox Damasceno iniuriam facit. Homo non semper personam habentem humanitatem significat: sed interdū naturam, interdū hypostasim denotat. Multo minus probauit Iesuita, quod in propositione, Homo est Deus: vox Homo, Damasceno significet personam diuinā habentem humanitatem. Deinde, me non monente, intelligit cordatus Lector et nequitiam & cauteriatam conscientiam hominis; quod cum in hac ipsa responsione, absurdum coccysum suum (intricatè licet) repetat; me tamen impudentis mendacij arguere, veritus non sit. Quæstio enim est, an vox Homo in dicta propositione significet Naturam humanam ex anima rationali & corpore constantem, Deoq; Verbo vnitam? An verò significet personam Filij Dei habentem humanitatem. Hanc posteriorem significationem natiuam esse, nemo sanus dicet. Et quia Iesuita cum suis hanc vrget & defendit: manifestum est ex precedentibus, quod vocem illam à natiua significatione transferat.

183. Hoc quia intellexit Iesuita: implicato sermone vti voluit, vt fraudis & malitiæ turpitude non nihil lateret. Nam secundum ipsius verba; vox Homo non directè significat aut designat compositum ex anima rationali & corpore, sed personam Verbi habentem Humanitatem, quæ Humanitas est composita ex anima rationali & corpore. Nunc iudicet Lector, an per impudens mendacium aliquid assinxerim Iesuitæ: & non ipse potius hoc impudenter de me mentiatur?

194. Porro ait: Me omnem quidem lapidem mouere, vt mendacium meum probem, sed exitu infelici. Et affingit mihi tale argumentum: Homo, secundum Iesuitam, significat personam diuinam in Natura humana subsistentem: quæ phrasis magis absurda & hæretica est, quàm fuit Scholasticorum de sustentatione. ERGO non retinet genuinam eius significationem.

185. At nullum tale argumentum in mea Assertionem legitur: nec eiusmodi probatione in re manifesta mihi opus fuit. Sed ostendo; Iesuitam magis absurda phrasi vti, cum ait: vocem Homo significare personam diuinam in Natura humana subsistentem: quàm cum Scholastici dicant; Hominem significare personam, sustentantem vel habentem Humanitatem. Et si enim vtraq; significatio falsa & absurda sit: Verum tamen est, quod persona diuina habeat & sustentet Naturam humanam.

Cur non rectè
dicatur, per-
sonam diuinā
in Natura hu-
mana subsi-
stere.

186. Quod verò persona diuina in Natura humana subsistat: hoc falsum & hereticum esse dico, si proprietatem & vim sermonis spectemus. Nam quod in alio subsistit: per se subsistentiam non habet. Hinc Damascenus (libro 3. Cap. 9.) Naturam humanam per se propria hypostasi subsistere negans, addit: ἀλλ' ἐν αὐτῇ (τῆ θεῶ λόγῳ ὑποστάσει) ὑποστᾶσα. Et Cap. 11. primitias Naturæ nostræ in hypostasi Dei Verbi subsistere dicit. Nec vicissim in vlllo Orthodoxo Patre me legere memini, quod persona Dei Verbi in Natura humana subsistat.

NB. Iesuita.

187. Et quia secundum Iesuitæ & Scholasticorum Confessionem, persona Filij Dei habet & sustentat Humanitatem: quomodo non potius Natura humana in persona sustentante & habente subsistere diceretur, quàm persona habens & sustentans in Natura, quæ habetur & sustentatur? Adhæc, si verum est, quod fol. 16. scripsit Iesuita: Hypostasim significare suppositum vel subsistentiam. Quæ autem substant vel supposita sint, propriè habere rationem fundamenti, sustentantis molem incumbentem: Conuenientius certè erit dicere, Naturam in persona tanquam in fundamento sustentante subsistere, quàm fundamentum in Natura, quæ sustentatur.

188. Intelligis Iesuita, si amens non es, rationem abs te suppeditatam? Nam id, in quo aliud subsistit, hoc alteri substat & supponitur; & secundum Iesuitam rationem fundamenti habet, sustentantis molem eius, quod in ipso subsistit. Quod personæ, non Naturæ proprium est. Sic persona diuina substat Naturæ humanæ, & sustentat eam. Quæ ratione Natura humana in persona diuina, non vicissim persona diuina in Natura humana, subsistere diceretur.

189. Hæc, quia veris rationibus subnixa sunt: autoritas hominum, quæ sine rationibus producitur, contra ea praualeare non potest. Vbi verò in Symbolo Athanasij habetur: perfectus Homo, ex anima rationali & humana carne subsistens: idem est, ac si contra hæreticos, Apollinarem & Marcionem dixisset; Christum, iuxta Deum, simul quoque perfectum hominem esse, ex anima & carne humana constantem. Et quia Humanitas in Deum assumpta esse, ibidem legitur: certè ipsa rectius in Deo, quàm Deus in Humanitate subsistere diceretur. Similiter in Actis quorundam Conciliorum, commodior hæc phrasis est, quod Christus ex duabus perfectis naturis consistat; quàm, quod in illis subsistat, propter rationes modò allatas.

Fol. 23.

190. Sed audiamus Antagonistam: qui sequens argumentum quasi meum, sibi obijcit: Homo secundum Iesuitam significat personam diui-

diuinam in natura humana subsistentem. Hoc est antecedens: Cui additur, quod hæc phrasis magis absurda & hæretica sit, quam ista Scholasticorum: Homo significat personam diuinam, sustentantem Naturam humanam. Consequens, quod Iesuita de suo attexit, est: Ergo Iesuita non retinet genuinam eius significationem. Ad hoc argumentum respondet: Nego totum: & consequentiam & antecedens. Quomodo autem antecedens negas, id est, significationem vocis Homo, quam tanta pertinaciâ vrges? Quod si appendicem antecedentis putas: non satis est, te dicere; Reipsa in proposito has phrasas non differre. Homo significat personam subsistentem in Natura humana: & Homo significat habentem humanitatem. Nam priorem posteriore multò absurdiorem esse, ostendi.

191. Tandem, cum nullus Orthodoxorum Patrum vsus sit peruersione Iesuitica in propositione, Homo est Deus: illos tamen in consortium absurditatis sua pertrahere, & mentiri audet: quod demonstrare coner, phrasin illam τ ο τ S. Patrum, esse absurdam & hæreticam. Verba Assertionis meæ hæc sunt: Constat in propositione; Homo est Deus; vocem prædicati idem denotare quod Filius Dei. Et vox subiecti, secundum Iesuitæ opinionem etiam significat personam Filij Dei, sed quatenus in Natura humana subsistit. Cum ergo dicitur: Homo est Deus: idem significatur quod istâ: Filius Dei subsistens in Natura humana est Filius Dei. Quod totius Scripturæ & Antiquitatis consensui repugnat. Et cum à patribus dicitur: hic Homo factus est Deus: secundum Iesuitæ declarationem sensus erit: Filius Dei subsistens, aut quatenus subsistit in Natura humana factus est Filius Dei. Quo nihil absurdius dici potest.

192. Hæc quia nec negare, nec conuellere potuit Iesuita, respondet, vt vanissimum hominem decet: Me hac probatione, mendaciunculo suo nixa, nihil aliud quæsuisset, quam vt tota Germania intelligeret, densissimis tenebris errorum & mendaciorum L V C E M Thesium Moguntinarum obrutam esse. Quid tibi videtur, candide Lector? An non palpas, turpissimum hunc impostorem conscientiam suam ita constrictum teneri, vt præter impudentiam mendacia non habeat quod mutiat? Verè is cum suis gregalibus ex numero illorum est, qui lucem clarissimam & ad oculum demonstratam veritatis, Tenebras appellare; & tenebras errorum & mendaciorum lucem vocitare non erubescunt. De quibus Esaias quinto. Væ dicentibus malum bonum: & bonum malum, qui ponunt tenebras lucem,

lucem, & lucem tenebras. Quid enim hactenus, amice Lector, à Iesuita præter crassissimos errores, turpissima mendacia, diabolicas peruersiones et calumnias audiuiſti? Sed quia nugatur, se hanc probationem meam Theſi ſequentē diſſoluiſſe: videamus, quas ibi errorum & mendaciorum nebulas Lectori offundat.

Fol. 24.

Theſ. 17. Ieſuitæ.

Homo, ſecundum Ieſuitã, ſignificat perſonam Filij Dei, &c.

193. Sic autem Theſis 17. habet: Neq; hoc modo explicata propoſitio: Homo eſt Deus: id eſt, perſona Filij Dei in Natura humana ſubſiſtens eſt Deus, vti cauillatur aduerſarius, eadem eſt cum illa: Deus eſt Deus: vt Natura humana à ſignificatione ſubiecti (*Homo*) prorsus arceatur. Etenim cum vocabulum *Homo*, ſit concretum: neceſſariò hîc perſonam deſignat, *NON HUMANAM*, quia in Chriſto vna tantum perſona eſt, ſed *DIVINAM* Filij Dei, eamq; non præciſè & ſimpliciter, ſed quatenus ſubſiſtit in Natura humana. Vox enim *Homo* propriè ſignificat perſonam Naturæ humanæ. Quæ Natura humana ſic propria facta eſt Filij Dei per incarnationem, *ATQVE* propria facta eſt cuiq; homini, Platoni, Socrati & alijs, ſua ipſorum natura per naturalem generationem. Itaq; in hac propoſitione; Socrates eſt homo; & homo eſt animal; vox Socrates & homo ſignificant perſonam ſubſiſtentem in hac natura: ſic in illa, *Homo eſt Deus*, vox *Homo* ſignificat perſonam diuinam ſubſiſtentem in Natura humana.

194. Hîc primum iudicet Lector; an (quod mentitus eſt Ieſuita) meam probationem *CLARE* diſſoluerit? Nam ſtolidum ipſius coccyſmum, ſine vlla probatione, aut meorum diſſolutione, repetitum audimus. Nos autem in præcedentibus ex Scriptura & patribus Orthodoxis probauimus; quòd vox *Homo*, in propoſitionibus; *Homo eſt Deus*, & *Deus eſt Homo*; non præciſè deſignet diuinam perſonam Filij Dei in Natura humana ſubſiſtentem, ſed ſecundum Athanaſij Symbolum, Hominem perfectum ex anima rationali & humana carne ſubſiſtentem, qui in Deum aſſumptus eſt.

D. Iac. Andr.

195. Deinde, abſq; cauillo veritatem ſcripſit Doct. Iacobus Andrea: quod perinde ſit, cum Ieſuitæ dicunt, *Homo eſt Deus*, id eſt, *Filius Dei in Natura humana ſubſiſtens eſt Deus*: ac ſi dicatur, *Filius Dei eſt Deus*. Quæ ratione Natura humana ab hac prædicatione prorsus excludatur: non quidem quod ad ſyllabas, ſed veritatem prædicationis attinet. Vt enim prædicatione hæc: *Filius Dei eſt Deus*: conſiſtat: additio illa, in Natura humana ſubſiſtens, non efficit: ſed *Filius Dei eſt Deus*, ſiue illud addatur, ſiue omittatur.

Et

persona Filij Dei eiusq³ Natura per incarnationem particeps facta est Humanitatis: ita vicissim caro Domini particeps facta est Deitatis: vt Basilius loquitur.

200. Quartò, in Thesi ingeminat illud: Personam Filij Dei in Natura humana subsistere. Pertinaciter ignorare volens, quòd per se, nec in alio subsistere, proprium sit hypostaseos, præsertim diuinæ respectu Naturæ humanæ: quæ subsistentiam suam in supposito Filij Dei habet. In Deum enim assumpta est, & in Deo personaliter subsistit. Et quia persona Filij Dei facta est hypostasis Naturæ humanæ: quomodo nõ sine absurdissima absurditate dicitur, personam Filij Dei potius subsistere in Natura humana, quàm Naturam humanam in persona diuina, à qua in communionem personæ assumpta est?

201. Patres Orthodoxos sensisse aut scripsisse, Vocem Homo in prædictis propositionibus significare non Naturam humanam, sed personam: mendacium esse dico & repeto.

D. D. Schegk-
kuis.

202. Objicis mihi clarissimum Philosophum, D. D. Schegkium: quem vt præceptorem in Philosophia grata mente agnosco, plus ipsi tribuens quàm omnibus tuis sophistis & scotistis: Ita nemo bonus mihi vitio vertet, quòd in hisce Theologicis questionibus ex fundamentis S. Scripturæ & Orthodoxa Antiquitate rectius edoctus, præceptorem ex lacunis Scholasticis bibentem non sequor. Nam apertè confitetur in Responso ad Simonij reprehensiones: (quòd scriptum Iesuita allegat:) se cum Scholasticis loqui & sentire. Opinionem igitur eius de voce Homo, & persona in Natura subsistente, non vt Lutherani, sed Scholastici Theologi, propter causas prius allatas, relinquo.

203. Nec ego in Scholasticos Doctores principaliter inuectus sum: qui aliqua venia et cõmiseratione præ Iesuitis digni sunt, quòd in tempora infelicia inciderint, in quibus Antichristus Romanus & densissima tenebræ papatus regnarunt. Qui si de erroribus, veris & euidentibus rationibus, (vt hodie Iesuita) admoniti fuissent; procul dubio veritati locum dedissent.

204. Nec tu huc vsque probasti; me calumniari, vbi harum propositionum, Homo est Deus: & Deus est Homo: Expositionem abs te allatam, insulsam, absurdam, hereticam vocavi. Te autem tuiq³ similes, impios sophistas meritiò appellavi; quòd diuina mysteria, rerum naturalium seriem longè transcendunt, ad regulas Philosophicas è media rerum natura desumptas, exigere conantur. De quibus tamen Apostolus ex instinctu Spiritus sancti præmonuit: Videte, ne quis sit, qui vos depredeatur per Philosophiam & inanem deceptionem, iuxta traditionem hominum, iuxta ele-

elementa mundi, & non iuxta Christum. Ergone secundum profanum Iesuitam, Paulus Theologus, in mysterijs diuinis Philosophos non secutus, sophista appellandus erit? quia scilicet Plato sophistas dixit, qui se Philosophis opponunt?

205. Tubingenses Philosophiam O M N E M odisse; & propterea potius sophistas, quam Philosophos dicendos esse: turpiter mentiris. Tuas stolidas & impias nenas, quas contra Scripturam & Orthodoxam antiquitatem occinis, orbiq; Christiano obtrudis, improbamus & damnamus.

Fol. 25.
Mend. 95.

206. Præterea cum scribit: In plerisque omnibus Academijs Lutheranorum, exturbato Aristotele & Platone, regnare compendia hominum triobolarium, Philippi Melanthonis & aliorum. Si hoc intelligat de Academia Tubingensi: non minus, quam prius, turpiter mentitur. In hac enim plurimis iam annis sobria Philosophia Aristotelis & Platonis locum habuit. Interim minimè contemnens compendia virorum doctissimorum: quale est Philippi. Quo si etiam solo frueremur: abundè secundum eius regulas, vestros crassissimos & pudendos errores refutare possemus.

207. Quod Schegkij verba refers, alibi scribentis: Ego quidem sic iudico, tum demum fore quietas & beatas Ecclesias, si aut Philosophi V E R I dent operam Theologiæ: aut Theologi philosophentur P I E. Nec in illorum sum sententia, qui Philosophiam Theologico studio obesse arbitrantur. V E R A P L E T A S docentium & discientium est in causa, vt ambæ disciplinæ & honestissimè & utilissimè coniungi possint. Nec recusat diuinorum oraculorum P E D I S S E Q V A esse N O S T R A Philosophia: quæ tum demum V E R A E S T, S I V E R B O D E I S E S V B I I C I A T, eique F A M V L E T V R. Siquidem autore etiam Aristotele, Philosophi finis sit, *θεραπεύειν καὶ δεωρεῖν τὸν θεόν.*

D. Schegkij.

Philosophia
Theologiæ
pedissequa.

208. Hoc iudicium excellentis & Christiani Philosophi adeo non displicet nobis, vt illud vehementer contra sophisticas tuas nugas & impietates, probemus. Nam loquitur de Philosophis veris, qui ex Aristotele didicerunt; Principia disciplinarum non esse confundenda. Item, qui sentiunt; Philosophiam tum demum veram esse, si Verbo Dei se subijciat, eiq; famuletur. Hoc quia à vobis non fit: sed principijs & Regulis Philosophicis,



(*quas mysteria diuina longè transcendunt, nec eis aptari possunt*) in Theologia dominari vultis: Ideo vestram Philosophiam non immeritò Sophisticam, vosq; improbos Sophistas iure nominamus.

209. Dicit præterea Iesuita: me phrasas Scholasticorum & Iesuitarum non intelligere: ideo eas absurdas facere: & scientiam non habere inimicum nisi ignorantem. Scilicet, *sublimis hac scientia est, quæ à Lutheranis præ stupore intelligi nequit, quòd Homo, quia vocabulū concretum, in propositionibus sæpe nominatis necessariò significet personā diuinam, habentem Humanitatem: ex alto despiciens, quicquid contrà ex S. Scriptura vel patribus Orthodoxis afferatur. Ergo secundum stultitiam Iesuitæ, quando Filius Dei dicitur caro seu Homo factus: hic sensus erit, quòd Filius Dei factus sit Filius Dei habēs Humanitatem? Quis verò tam monstrosa, absurda, imò hæretica, non abominetur?*

Fol. 25.
Mend. 96.

210. *Hæc & similes reprehensiones iustissimas, reprobæ mentis Iesuita, iniquissimas calumnias vocat; & ex Patre mendacij vno rictu plura mendacia eructat, Quòd nimirum eo vsque mendaciorum conuiciorumque plaustris aures Scholarium nostrorum obtuderimus, vt Scholastici in Philosophia & Theologia ipsis iam tantùm non fungi & stipes facti sint. Ideo voluisse se verbis Doctoris nostri Tubingensis insignem nostram impudentiam & in cauillando licentiam patefacere; vt disceremus tandem, non loquacitate contumeliosa sed solida ratiocinatione ad veritatem perueniri.*

211. *Sicut Iesuita in scientia & collatione Theologica ineptissimus, ita in mentiendo, calumniando & conuiciando expeditissimus est. Prouoco iterum ad iudicium candidi Lectoris, an hætenus Iesuita vllius mendacij rationibus veris me conuicerit: & non ego potius plaustra mendaciorum (conuicia & cauillationes putidas nunc mitto) de ipso verè probârim.*

212. *Quòd verò Scholasticos & Iesuitas, (qui abusu Philosophia Theologiam adulterant, & veritativim faciunt) Sophistas alijsq; nominibus appello: Conuicia non sunt, sed verissima Epitheta, quibus illorum vitia notantur, vt caueri possint. Idq; facio exemplo Christi, Ioannis Baptistæ, & Apostoli Pauli qui falsos Doctores non dubitarunt vocare Lupos rapaces, progeniem viperarum, fures & latrones, canes, Pseudoapostolos, operarios dolosos & malos, ministros Satanae. Quæ omnia si etiam in Iesuitas dicantur: nulla propterea nostra impudentia, nulla cauillandi aut conuiciandi licentia, nulla contumeliosa loquacitas, sed officij ratio est, à nobis seridè exigens, vt vos seductores notis proprijs*

Disputatio II.

prijs depingamus, quò vitari ab imperitioribus possitis. Dum enim vos falsos Doctores esse luculentissimè demonstramus; simul quoq; omnia ista epitheta vobis conuenire ostendimus. Nec mendax conuiciator, impudens cauillator, aut contumeliosus blatero est, qui lupos, canes, furas & latrones suis proprijs nominibus designat. Vter autem solidius ratiocinetur: & an meæ ratiocinationes sint futiles reprehensiones: cordati iudicabunt.

213. Post multa mendacia redit ad defensionem stolidæ impietatis suæ, Fol. 25. quod in propositione: Homo est Deus: vox Homo non designet præcisè semen Mulieris, seu Hominem perfectum (vt Symbolum Athanasij loquitur) ex substantia Mariæ in Deum assumptum: sed personam Filij Dei in natura humana subsistentem. Et hoc ideo Satan per ministrum suum tanto conatu vrget: quia serpens antiquus inuidet semini Mulieris nomen illud supra omne nomen, quod est nomen DEVS: de quo Paulus ad Philip. 2. testatur, quod CHRISTO secundum Naturam exinanitam & superexaltatam datum sit. Hoc Diabolus illi rapere; & passionem huius Hominis, (peruersâ opinione Iesuitarum, nullam realem communionem cum Deitate habentis) Generi humano inutilem reddere conatur.

214. Quia verò mancipium vanitatis nugatur, Se crassissimos meos Mend. 97. errores & cauillationes à me allatas (quib. bona pars ædificij vbi- Fol. 25. f. 2. quitarij inclinata recumbat) euersurum: (cuius causa obiectiones meas, & responsonem suam, in septem capita distinxit:) videamus, quomodo Lectorem hiantem deludat.

215. Prima obiectio mea sic habet: Si, quod Thesi 14. scripsit Iesuita, Hypostaseos proprium est, vt Natura ipsi colligata sit substantialiter, hoc est, vt Naturâ in hypostasi, non autem hypostasis in alio subsistat: quomodo persona Filij Dei in Natura humana, & non potius Natura in persona subsistere, dicetur? Hanc in primo Responsonis suæ capite intactam relinquit: & personam à Natura ociosè nemineq; contradicente distinguit.

216. Secunda obiectio est autoritas Damasceni: qui lib. 3. Cap. 9. & 11. ait: Naturam humanam in hypostasi Dei Verbi subsistere. Iesuita autem in secundo capite Responsonis suæ differit de varijs modis, quibus persona Verbi considerari possit. Vbi initio errorem suum repetit, quod persona Verbi secundum subsistentiam suam SVSTENTET DIVINAM & humanam Naturam: Cùm tamen persona Verbi nihil aliud sit, quàm Natura diuina cum differentia hypostatica.

217. Deinde, hinc liquet: quod Verbum SVSTENTANDI de Natura diuina accipiat: quod in Apologia Thes. 12. negauit.

IESVS nomen diuinę & humanę naturę simul.

218. Tertio ait: personam Verbi considerari, vt est persona Naturę humanę TANTVM: & tum proprię vocari IESVM. Quo, præter alia ruditatē suam in Theologia prodit. Iesus enim significat Saluatorem: Et q̄ nomen personę, non Naturę humanę tantum, sed diuinę et humanę simul, totius personę officium exprimens. Vt enim Natura humana absque diuina IESVS esset, impossibile fuit: ideo Deus, Verbum, Naturam humanam assumpsit, vt Iesus, hoc est, Seruator Mundi esse posset. Non minus ergo nomen IESVS quàm CHRISTVS significat personam ex duabus naturis constantem.

Iustinus.

219. Nec quicquam patrocinatur Iustinus Buseo, cū in Apol. 1. pro Christianis, scribit: Iesus porrò hominis & conseruatoris nomen significationemq; complectitur. Nam hic Homo sine DEO, Seruator non est. Ideo Angelus Luc. 2. ait: Natus est vobis hodie Seruator, (Iesus) qui est Christus DOMINVS. De quo Ose. Cap. 1. prædictum: Saluabo eos in IEHOVA DEO suo. Et Esa. 35. Deus ipse veniet: & saluabit vos.

Iehoua est IESVS.

Hilarius,

220. Producit quoq; Hilarius, in Psalm. 65. contra Iesuitas & Caluanianos sic scribentem: Hęc (data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra) non de Diuinitatis suę dicta sunt potestate. Illa. n. vt semper est dominans, ita & dominabitur semper: sed IN ÆTERNAM GLORIA MEIUS assumptę ex virgine CARNIS NATVRA transfertur. Iesus. n. est eius Hominis, qui ex Maria natus est, nuncupatio. Hic nequaquam dicit aut sentit Hilarius, quod Iesus sit nomen personę Verbi, vt est persona Naturę humanę TANTVM: sed quod sit appellatio eius Hominis, qui ex Maria natus est. Is autem secundum testimonium Angeli Luc. 1. est Filius Altissimi, & Iehouah Iere. 23. Qua ratione IESVS, personam vtriusq; Naturę designat: & correspondet nomini IMMANVEL, Esa. 7. quod Deum & Hominem simul denotat.

Magnum My-
sterium à Ie-
suita proditū.

221. Tertium meum argumentum à Iesuita assignatum, est: Quod in alio subsistit, per se subsistentiam non habet. Si igitur personę Verbi subsistit in Natura humana: non habebit propriam subsistentiam. Quod quidem de Natura assumpta, non autem de personę Filij Dei dici potest. Et hoc, in medio relinquens Iesuita, Magnum mysterium notandum nobis, proponit: personam videl. Verbi, vt est persona Naturę humanę in Iesu, tam perfectę & integrę fun-

fungi officio personæ, atq; si eadem Natura propriâ subsistentiâ, vt in cæteris hominibus, terminata fuisset.

222. At nō hoc solum præstat: nec solius subsistentia causa assumfit Naturâ humanam, cum extra personam Verbi propriam subsistentiam habere potuisset: (tum aut̄ non IESVS i. mundi Saluator fuisset) sed vnâ cum subsistentia cōmunicauit quoq; ei Deitatem & gloriam suam propriam. Et sic infinitis modis amplius perficitur Natura humana à persona Verbi, quàm si propriam & naturalem subsistentiam nacta fuisset. Quod tamen Iesuita cum socijs detestandæ impietatis negat & impugnat.

223. An secundum Scholasticos quosdam, persona diuina Verbi, humana vocari possit, quia persona Hominis est: te ū non litigabo, cum tu ipse in Thes. 17. scribas: Vocabulū HOMO, designare personā NON HUMANAM, sed diuinam Filij Dei, quatenus in Natura humana subsistat. Quod si propriè et sine offensa loqui velimus: persona Verbi, diuina persona manens, Hominis persona supra naturæ ordinem (salutis nostræ causa) facta est. Pro quo ipsi grati simus: nec ociosè & futiliter disputemus, an humana vocari queat: Cum non quicquid hominis est, propterea etiam humanum dici possit.

224. Adhæc, non malitiosè affinxi tibi, quasi certò sentires, Naturâ humanam Filio Dei propriam factam esse secundum essentiam, &c. Sed quia apud Hæreticos (vt tuo serm. vt ar) nihil vniusmodi est: & Verba tua in Thes. 199. superius citata, prima statim fronte Lectori hunc sensum ingerunt: scripsi, quòd VIDEARIS te hæresi Eutychniana implicare.

225. Nec quod obieci, refellere potuit Iesuita, sed mentitur: Se de perso- Mend. 98.
na loquutū esse, nō de Natura: quòd tam perfectè fungatur officio secundum subsistentiam sustentandi Naturâ humanâ in Christo per generationē supernaturalem, quàm persona cuiusq; hominis per generationem naturalem producta. Nam nihil horum in Thesi 17. continetur: & sermo de Natura humana ibidem manifestus est.

226. Prædictis addidi: Busæum stupenda cecitate percussum esse, quòd cum scribat, Naturâ humanâ sic propriâ factâ esse Filij Dei, vt alij homini sua natura: insaniat tamē, Nec re nec nomine Naturas in persona Christi cōmunicari potuisse: Cum hæc arctissima coniunctio & ἰδιωτισίς, sine reali communicatione consistere nequeat. Nisi fortè deliret Iesuita, ne hominibus quidem cum sua Natura communionem quandam esse.

227. Hoc cum diluere nō posset: ne homo reprob. gloriâ veritatis daret: stolidè nugando et nequiter cōuiciando, sic regerit: Ego verò miror tā stupenda cecitate percussū esse istū Prophetā vel videntē Tubingensem:
qui

qui postquam tam multa à me de vnione reali & subsistentiali naturarum, & subsistentia realiter communicata Naturæ, & natura propria facta personæ vel subsistentiæ differentem audiuit: tamen instar cæci & surdi, qui nihil horum intelligere vel audire velit, sicut sus ad volutabrum sui cerebri reuertitur: & ad primam Thesin tanquam ad Petram scandali identidem relabitur. *Agnoscit veritatis Studiosus; progeniem serpentis calcaneo Christi insidiantem, nihil ad rem respondere.*

Affert. pag. 30

228. *Quartum argumentum opposui: quod secundum Scripturam & Patres Orthodoxos, vox Homo significet Naturam humanam ex anima rationali & corpore constantem, quatenus cum Filio Dei personaliter vnita sit. Hunc hominem in hypostasin Filij Dei assumptum, esse causa vnionis personalis ipsum Filium Dei: & Filium Dei esse perfectum hominem ex anima rationali & carne humana subsistentem: sicut Symbolum Athanasij confiteatur, & Augustinus doceat in Enchiridio ad Laurent. Cap. 35.*

Infulsa & stolidi tautologia Iesuitæ.

229. *Hæc insolubilia agnoscens, stolidas suas nugas, sine vlla probatione, repetit; quod vox Homo in propositione, Homo est Deus: designet personam Naturæ humanæ, id est, personam Filij Dei, quatenus in Natura humana subsistat. Sed vbi testimonia Scripturæ vel patrum, quibus hoc probet?*

Fol. 26. f. 2.

230. *Postea more Sophistarum & impostorum, (qui res planissimas intricant) distinctionem verbi subsistere satis obscure tradit; cuius tamen significatio notissima est; idem denotans, quod subsistentiam habere, siue per se, siue in alio. Sic persona Verbi per se, Natura verò humana in hypostasi Verbi subsistere dicitur. Et hoc modo si elucidetur distinctio Iesuitæ obscura: tunc admitti potest, Quod videlicet subsistere duobus modis accipitur: Vno, quo quid per se, non ratione alterius subsistit. Quod personæ proprium est. Et hic modus, positivus vocari potest. Alter modus est, quo aliquid non per se, sed in alio subsistit, vt Natura humana in persona Verbi: accidentia in subiecto. Hunc modum Scholasticè dicere possumus Negatiuum. Verum, hæc distinctio nihil commodat peruersitati Iesuitæ; qua personam Verbi in Natura humana subsistere contendit: imò ne quidem ex descriptione ipsius probari potest. Dicit enim secundo modo aliquid subsistere, quod ita per se existat, vt ab alio non pendeat. Et hoc modo non subsistere nisi personam naturarum.*

Subsistere, duobus modis accipi.

231. *In Thesi 17. nugatus est: Vocem Homo designare personam Filij*

Filij Dei, non præcisè & simpliciter, sed **QVATENVS** in Natura humana subsistat. Hic ubi de heretica absurditate (quam ipsa verba ostendunt) à me monitus est: errorem erroribus cumulat, scribens: **Dictionem** **QVATENVS**, dupliciter accipi: primò reduplicatiuè, vt significet aliquid, quod subiecto conuenit esse causam prædicati. Vt, si dicas: homo quâ rationalis, est disciplinæ capax. Quam acceptiōnem cum Schegkio suo ineptè Gerlachius vocet ætiologicam vel speciūocam. Secundò specificatiuè: vt determinet tantum rationem & significationem subiecti, **SECUNDVM QVAM** conueniat ei prædicatum.

232. His verbis plures errores complectitur. Nam (vt Studiose iuuentutis causa non nihil ex Philosophia repetamus:) secundum Aristotelem formula Limitationis καθ'ὅ, id est, secundum quod, **Quatenus**, vel **Quia**, quatuor modis vsurpatur. Nos tres principales ad nostrum institutum pertinentes, Lectoris causa obiter attingemus. Primus est in illis propositionibus, in quibus prædicatū de subiecto quia ipsum, nō quia aliud, dicitur. Vt homo quia homo est animal rationale. Et quoniā ἀναδιπλωσις est eiusdem vocis reduplicatio seu repetitio: hic modus propriè reduplicatiuus vocatur, utpotè in quo ipsum subiectum repetitur: Quod respectu prædicati non est causa, gratia cuius prædicatum ei in sit.

233. Vbi Iesuita dupliciter hallucinatur. Primò, quod modum reduplicatiuum sic propriè & in specie dictum, causam prædicati exprimere dicit. Secundò, quod hanc acceptiōnem, in qua limitatio causam prædicati continet, ætiologicam vocari posse, stolidè negat. Simul imperitè confundens diuersas limitationum species; Reduplicatiuam nimirum, in qua subiectum repetitur: & causalem, in qua redditur causa, cur prædicatum de subiecto dicatur.

234. Secundus modus τὸ καθ'ὅ, secundum Aristotelem repetit subiectum, cui prædicatum primò inest. Vt Homo quatenus homo, est capax disciplinæ.

235. Tertius modus est, quo prædicatum dicitur inesse subiecto, ratione cuiusdam causæ; vt propter efficiens, materiam, formam aut finem: Item propter genus, differentiam, proprium, aut accidens quoddam. Ad hunc modum pertinet exemplum à Iesuita allatum: quod homo quia rationalis, sit capax disciplinæ. Similiter quoq; alterum exemplum, de quo controuertitur, (quod Homo i. Filius Dei, quatenus in Natura humana subsistat, sit Deus:) ad hunc modum pertinere, ipsa vis sermonis ostendit: limitatione subiecti non obscure exprimente causam, propter quam prædicatum de subiecto enuncietur. At causa illa falsa & heretica est.

Gabr. libro 3.
dist 7. Con. 7.

236. Præter hos modos affert Iesuita aliū, quem specificatiuum vocat; quo determinetur ratio & significatio subiecti, SECUNDUM QUAM conueniat ei prædicatū. Vbi de appellatione huius modi nō solliciti, eiusmodi determinationem esse posse nō negamus. In hoc tamē modo, secundū Gabrielem, causa non unquā redditur, ratione cuius prædicatū subiecto cōuenit. At nec secundū hunc modū, in propositione: Homo est Deus; prædicatū subiecto conuenire ostendimus. Nam iuxta significationem et interpretationem à Iesuita assignatam, falsum & hereticum est, quod homo seu persona Filij Dei, QUATENUS in Natura humana subsistat, Deus sit. Et hīc per vocem QUATENUS, non tantū explicatur, in qua significatione Iesuita subiectum accipiant, ut illi prædicatū attribuat; sed simul quoq; causa notatur, gratia cuius prædicatum de subiecto enuncietur. Quod omnes intelligentes fatebuntur.

Mend. 99.

237. Ex hac doctrina suā futili, duo animaduersione digna sequi dicit: Primum, quod multa peccata à me in argumentando commissa sint. Me enim cōminisci, quod Iesuita, in propositione, Homo est Deus; limitārit subiectum, cūm TANTVM EXPOSVERIT, quomodo subiectum accipiatur.

238. Miserū hoc effugiū impostoris est; quo ipse de victoria desperauit. Et si. n. vocem Homo in Thes. 17. exposuerit tantū: negare tamē nō potest, quin hæc ipsa expositio in propositione (quam Thesi sequente ponit) rationem limitationis habeat, et sententiā hereticā efficiat. Omniū. n. sanorū confessione, vox QUATENUS vel Quia, est formula, qua subiectum respectu prædicati limitatur. Et quod in declaratione simplicis termini expositio dicitur, id rationē limitationis in propositione habet. Quod ipse Iesuita confirmat, scribens, Dictionem QUATENUS specificatiuè acceptā, DETERMINARE rationem & significationem subiecti, secundū quam conueniat ei prædicatum. Quid autem hæc determinatio aliud est, quàm limitatio? Verūm, quocunq; nomine determinatio subiecti Iesuitica veniat: absurda & heretica est, in propositione sæpe dicta.

Putidum Sophisma Iesuitæ.

239. Non minus putidū sophisma est, quod scribit: Schegkium triplicem limitationem ad tres species Reduplicatorū prædicatorū referre. At in propositione allata, nullā esse reduplicationem prædicati. Non ignorat, opinor, Iesuita, Schegkiū per reduplicata prædicata nihil aliud intelligere, quàm propositiones Reduplicantes seu Reduplicatiuas: (sicut sæpe eas vocat in scriptis suis:) in quibus subiecta respectu prædicatorum limitari & deter-

determinari docet. Caterum ut Iesuita mendacium suum (quod videlicet multa peccata in argumentando commiserim) aliquomodo verisimile redderet: priori hoc beaninum sophisma addere voluit.

240. Adhuc, Schegkium in doctrina Reduplicationis seu limitationis non parum HALLVCIARI, balbutit: Cum ipse non tantum nihil melius afferat, sed etiam à Schegkio planissime & cum fructu singulari legentium tradita, nebulis Scholasticis obscuret. Ponit autem Schegkius tres species limitationis: quæ in quavis disciplina magnum usum habent. Primam, simpliciter Reduplicatiuam, & propriè sic dictam, appellat: in qua subiectum seipso limitatur, & repetitur. Exemplum supra adduxi. Hæc causalis dici nequit: cum subiectum respectu sui ipsius causa prædicati non sit. Secundam, appellat ætiologicam seu causalem: in qua subiectum respectu prædicati specie quadam causæ limitatur. Ut Homo, quia Christum iustitiam nostram fide apprehendit, coram Deo iustus est. Tertiam, Synecdochicam vocat: in qua propter Synecdochen partis, prædicatum de toto enunciatur. Ut Christus secundum Deitatem est æternus.

Fol. 27.

Limitationis
3. species.

I.

II.

III.

241. His verisimilis, planissimis, & utilissimis (in quibus Iesuita Schegkium hallucinari dicit) ipse Scholasticorum nebulas offundit: quod nimirum Reduplicatiuam propriè velint esse causalem. Speciuocam verò (in qua determinetur & explicetur tantum ratio & significatio subiecti, secundum quam conueniat ei prædicatum) nec causalem nec propriè reduplicatiuam esse. Synecdochicam, ad alteram earum reuocari. Hæc sunt, quæ Iesuita Schegkio hallucinanti, scilicet, opposuit. Sed quia alterius loci sunt; examinare ea mitto.

242. Arguit præterea contra descriptionem Reduplicatiuæ propriè dictæ, quod subiectum etiam in ætiologica repeti possit. Ut Homo quæ homo est disciplinæ capax. Hoc autem eruditus Dialecticis stultissimum videtur: quandoquidem subiectum causa prædicati esse nequeat: & in propositionibus demonstrabilibus (qualis est hæc: Homo est capax disciplinæ et virtutum:) subiectum et causa, per quam prædicatum subiecto inesse probatur, differant. Nec (contrà quàm volunt Dialectici Iesuita) propriè reduplicatiua, sed causalis est, quædo homo, quæ rationalis, disciplinæ capax esse perhibetur. Habet. n. differentia respectu subiecti seu speciei rationem causæ:

H 2

sicut

sicut quoque genus et proprium: propter quae aliquid subiecto inesse potest. Vt, Homo, quia animal (non quia homo, aut rationalis) dormit, vigilat, sentit.

243. Postea, non simpliciter, vel de nostra sententia, sed secundum tuam stolidam, falsam, absurdam & hereticam expositionem decerno, quod haec Iesuitarum propositio falsa: Homo, i. persona Filij Dei, QUATENUS in Natura humana subsistit, est Deus: sit etiologica. Quod ex precedentibus liquet.

Mend. 100. 244. Nobis autem propositio haec simpliciter enunciata: Homo est Deus: minimè etiologica, sed inusitata est; regulis communibus & vsitatis, è natura rerum desumptis, neutiquam quadrans. Nam qualis est res; talis quoque est praedicatio. Res autem seu unio personalis Dei & Hominis, (quae praedicationem istam parit) inusitata planè et singularis est. Hanc autem causalem veramque esse, profiteremur: Homo ex substantia Mariae assumptus, QUATENUS in persona Filij Dei personaliter subsistit, est Deus.

Fol. 27 f. 2. Mend. 101. 245. Caterum, vocem Homo, non significare Naturam assumptam, Iesuitae hoc argumento probare nititur: Homo secundum genuinam significationem idem est, quod habens Humanitatem, vt aliàs probaui. Sed habens humanitatem in Christo, non est Natura humana, sed persona diuina. Non potest igitur homo designare naturam tantum. Respondeo: Maiorem falsissimam esse; & nugari Iesuitam, quod illam probarit, ex precedentibus euidentibus est.

246. In propositione: Christus etiam, quatenus Homo, vel secundum Humanitatem, est omnipotens: Si limitatio causalis dicatur, falsa erit. Si Synecdochica: vera esse probatur ex Scriptura & patribus, in Cap. 4. & 5. Assertionis meae.

Mend. 102. 247. Et citra limitationem verum esse agnoscimus, quod Homo ex Maria assumptus, sit Deus. Factus. n. est postremus Adam in Spiritum viuificantem, 1. Cor. 15. Et germen Dauidis est Iehoua, Iere. 23. Falsa autem haec est, quam Iesuita per satanicam calumniam nobis affingit: Hic Homo quatenus Homo, vel secundum quod Homo, est Deus, est omnipotens. Non. n. equipollent haec propositiones: Christus etiam secundum Humanitatem est omnipotens: & Homo in Deum assumptus, quatenus vel quia Homo, est omnipotens, est Deus. Nam posterior haec, falsa est.

248. Nec quia Christus secundum Humanitatem est creatura: Ideo secundum eam non est omnipotens. Affirmatiua enim ex Scriptura euidenter probatur. Nam quia Christus secundum Humanitatem, virtute diuina (quae nihil

(*quæ nihil aliud est, quàm omnipotentia Dei*) vnctus est, cum secundum diuinam vngi non possit: Consequens est, quòd etiam secundum Humanitatem sit omnipotens. Acto. 10.

249. Est & hæc argutatio verè Antichristiana & satanica: Humana Natura, etiam quatenus subsistit in persona Verbi, manet natura & creatura. Ergo non est Deus: Nam modò ex Scriptura probauit: quòd hæc creatura, seu hic homo ex substantia Dauidis & Mariæ assumtus, factus sit Deus Verbum & Iehoua. Impietas Iesuitæ.

250. Porro, mentitur Iesuita, quòd hæc Limitatio; Natura humana seu Homo assumtus, quatenus subsistit personaliter in persona Verbi, (seu propter vnionem personalem cum Deo Verbo) est Deus: pugnet cum nostra doctrina. Hocq; mendacium alio confirmare præsumit, scribens; quòd Humanitatem seu Hominem assumtum non faciamus Deum, quia personaliter subsistat in persona diuina. Ad- dit tertium mendacium: quòd Humanitatem faciamus Deum, quia realiter communicata sit Naturæ diuinæ. Quam rationem in nullo nostrorum scripto monstrare poterit. Eam verò, quam subiungit, à nostris usurpatam agnoscimus: quòd nimirum humanitas seu Homo assumtus, factus sit Deus; quia Natura diuina cum suis proprietatibus communicata ipsi est. Et hæc ratio non pugnat cum priori; sed dependet ab ea. Nam per vnionem et assumptionem Hominis in personam Dei Verbi, facta est communicatio illa; sine qua Homo iste, Deus non esset. Mend. 103. fecundum.

251. Alterum animaduersione dignum dicit: quòd subiecti in propositione: Homo est Deus: non sit eadem omnino significatio, quæ est prædicati: & ideo nec esse eandem cum illa, Deus est Homo, vel Deus est Deus. Subiectum enim significare personam Naturæ humanæ: & prædicatum personam Naturæ diuinæ.

252. Hæc autem non euadet, nec absurditate se liberabit Iesuita. Quamuis enim secundum falsam & commentitiam ipsius explicationem, (quam huc vsq; firmis rationibus non probauit) subiectum non prorsus idem, quòd prædicatum, significet: quòd tamen veritatem ipsius prædicationis attinet, nihil refert, siue dicatur, Filius Dei est Deus: siue, Filius Dei in Natura humana subsistens est Deus. Vt enim prædicatio consistat & vera sit: non efficit expositio seu limitatio subiecto addita. Est q; Filius Dei natura et per essentiam Deus: nō quatenus aut quia in Natura humana subsistit. Proinde, si explicatio subiecti Iesuitica locum habere debet: nullum discrimen (quòd ad rem ipsam seu prædicationem) erit discrimen. Secundum Iesuitam, non erit discrimen.



inter propositiones; Homo est Deus: & Deus est Homo. *nis veritatem) inter has propositiones erit: Homo est Deus: & Deus est Homo. Vtrobique .n. idem de seipso predicabitur: Cum eadem numero persona sit diuina & Humana Natura. Estque limitatio subiecti respectu predicati, aut falsa, aut superuacanea.*

253. Itaque licet recte dicatur: Vtriusque Natura in Christo esse eandem personam: nec alium esse hominem, & alium Deum: ALIUD tamen HOMO & aliud Deus in Christo est. Christi enim persona secundum Augustinum in lib. sententiarum Prosperi, constat ex Deo & Homine. Quod si nunc Homo significet personam Filij Dei in Natura humana subsistentem: tum Christi persona constabit ex Deo & Deo in Natura humana subsistente. Quod portentum in Ecclesia Dei inauditum est. Similiter cum Augustinus Epist. 3. scribit: Deus vnitur Homini, vt Christus sit: Sensus secundum Iesuita stultitiam erit, Deus, seu Filius Dei vnitur Filio Dei in Natura humana subsistenti, vt Christus sit. Quo nihil absurdius & monstrosius dici potest.

254. Etsi autem Iesuita statuat realem vel subsistentialem vnionem inter Naturam humanam & Deum Verbum: non tamen nisi phantasticè colligit, Me cerebri mei phantasmata inferre, obijciendo; quòd secundum Iesuita absurdam interpretationem vocis Homo, perinde sit siue dicas, Filius Dei est Deus: siue hoc modo enuncies, Filius Dei in Natura humana subsistens, est Deus: & sic nullum discrimen esse inter propositiones, Homo est Deus: & Deus est Homo. Vt enim Filius Dei sit Deus, non efficit limitatio subiecti. Ex his nunc non mea, sed Iesuita absurda futilitas in explicatione propositionis, Homo est Deus: apparet.

Fol. 27. f. 2. 255. Quinto, nugas nugis cumulans, annotandum ait: quòd licet hæc vocabula concreta, Homo, Deus, designent personam in Natura subsistentem: ea tamen alium modum significandi consequi ex parte prædicati. Nam vt ex parte subiecti (inquit) obtinent locum materiæ vel suppositi: sic ex parte prædicati magis obtinent rationem formæ & Naturæ. Itaque in hac propositione: Deus est homo: vox Homo non eandem significandi rationem habet, quam in sua inuersa, Homo est Deus. Hanc doctrinam ait Thomam tradidisse, 3. p. q. 16. a. 7. ad 4. his verbis: Terminus in subiecto positus, tenetur materialiter, id est, pro supposito. Positus verò in prædicato: tenetur formaliter, id est, pro Natura significata. Et ideo cum dicitur: Homo factus est Deus: Ipsum FIERI NON attribuitur Humanæ

Improbat propositionem: Homo factus est Deus.

Vocem Homo (secundum Iesuitam) alium modum significandi habere in subiecto, & alium in prædicato.

Improbat propositionem: Homo factus est Deus.

NB. Absurdissima absurditas Iesuitæ.

Natu-

Naturæ, sed supposito Humanæ naturæ, *Q V O D* est ab æterno *D E V S*: & ideo non conuenit ei fieri Deum. Cùm autem dicitur: Deus factus est Homo: factio intelligitur terminari ad ipsam humanam Naturam. Et ideo propriè loquendo hæc est vera, Deus factus est Homo: sed *H Æ C* est *F A L S A*, Homo factus est Deus. Hæc ille.

256. *Has inanes nugas Iesuita cum suo Thoma non solum nullo Scripturæ, nullo Antiquitatis Orthodoxæ testimonio probat, sed etiam illis apertè contradicit. De significatione vocis Homo in præcedentibus multa. Quòd verò Iesuita de diuersa illius significatione, (provt locū subiecti vel prædicati sortitur) attexit: falsissimum est. Cùm. n. dico: Deus factus est Homo: seu, quod idem est, Verbum factum est caro: quemadmodum hic vox prædicati significat Naturam humanam, seu perfectum hominem, propria tamen personalitate destitutum: Sic cùm Patres Orthodoxi hanc propositionem inuertunt, dicentes: carnem seu Hominem factum esse Deum: hic certè subiecti eadem prorsus est significatio, quæ in propositione priori. Nam personam Filij Dei, quatenus in Natura humana subsistat, factam esse Deum; absurdissimum & hereticissimum est.*

257. *Similiter quando Paulus 1. Cor. 15. scribit: Extremum Adam factum esse in Spiritum viuificantem: hic factum esse, non supposito, quod ab æterno fuit, sed Naturæ humanæ attribuitur: nisi stolidissima absurditate & heresi nefanda nos implicare velimus.*

258. *Sic quoq; vox, Deus, tam in prædicato, quàm subiecto, significat Filium Dei. Est q; falsum & hereticum dicere, quod in propositione, Homo est Deus: vox Deus rationem Naturæ (vt vult Iesuita) obtineat. Ad hæc, impietate & blasphemia non caret: propositionem, Homo factus est Deus, (quæ in Scriptura & Orthodoxis patribus sæpè repetitur) tanquam falsam damnare. Eò autem prolabuntur, qui hoc magnum & adorandum pietatis mysterium rationibus Philosophicis constringere, regulis vsitatis alligare, & captui Rationis humanæ accommodare, (quod Iesuita cum Scholasticis faciunt) student.*

259. *Deinde, quia Iesuita in Thesibus & Apologetico hætenus contendit; vocem Homo significare personam Filij Dei, &c. (nisi quod paulò antè ex Thoma ostendere conatus fuit, eius aliam significationem ex parte subiecti, & aliam ex parte prædicati esse: quod tamen nulla ratione vera probare potuit, cùm secundum Scripturam & Patres Orthodoxos, vtrobique eadem ipsius significatio sit, vt modò ostensum;) sequitur, propositiones illas con-*
tro-

trouersas, Homo est Deus: & Deus est Homo: (Nam de his solis in presentia nobis cum Iesuitis lis est:) identicas esse. Quod ipsum, Iesuita primum titubando non penitus negare ausus fuit, scribens: Eas non esse prorsus identicas. Postea impudenter erumpit: Insigne mendacium censoris esse, asserentis, Iesuitam cum Scholasticis huiusmodi propositiones facere identicas.

Mend. 104.

Propositiones
identicae quae.Idem de seipso
predicari in
prop. Homo
est Deus: &
Deus est Ho-
mo.

260. Iesuitam verò insigniter mentiri, probabo. Quia enim in illis propositionibus, secundum explicationem Iesuiticam vocis Homo, idem de seipso sub eodem vel diuerso nomine predicatur: Identicas eas esse, necesse est. V.g. in propositione: Homo est Deus: Deus genitus, hoc est, Filius Dei, de Homine, qui est secundum Iesuitam Filius Dei aeternus naturam humanam sustentans, enuntiatur: & sic idem de seipso predicatur.

261. Pari modo in altera propositione: Deus Homo: quia vocabulum concretum Homo, Iesuita significat personam Filij Dei in Natura humana subsistentem: nec dum rationibus veris demonstrauit, quod aliam significandi rationem in subiecto, & aliam in predicato habeat: Vox insuper Deus, non patrem, non Spiritum S. nec etiam, absolute Deum (qui tota Trinitas est) denotat: sequitur, quod idem de seipso in illa quoque propositione predicetur.

Gabriel Biel.
Deus est Ho-
mo: propo-
sio identica.

262. His consentit Gabriel lib. 3. Dist. 7. scribens: Respondetur ad primum dubium; quod propositio illa, Deus est Homo, & similes, de virtute sermonis, & secundum terminorum proprietatem vera est, & concedenda. Quod probatur: quia sunt affirmatiuae, particulares, indefinitae, vel SINGVLARES: QVAVM EXTREMA SUPPONUNT PRO EODEM: & per consequens vera, & C Antecedens patet: quia Homo supponit pro supposito subsistente in Natura humana, & ita pro supposito Verbi seu diuino: & alterum extremum (DEVS) PRO EODEM supponit, vt manifestum est: & hoc secundum sermonis proprietatem.

Bonauentura.

263. Bonauentura lib. 3. Dist. 7. q. 1. Licet praedicationem identicam non probet: confirmat tamen fuisse, qui propositiones istas identicas fecerint. Alij (inquit) dicere voluerunt, quod talis praedicatione est in recto. Verum tamen nec est praedicatione formalis, nec causalis, nec accidentalis, sed PER IDENTITATEM. Et sensus est: Deus est Homo: i. Deus est ille, qui est Homo. Ille autem qui est Homo, id est, Filius Dei de Deo praedicatione per praedicationem identitatis.

264. Scotus lib. 3. dist. 7. q. 1. siue de sua, siue aliorum sententia scribit:
Viden-

Videndum est, qualiter accipiatur hoc prædicatum **H O M O**: & dicitur, quod accipiatur pro supposito; vt sit prædicatio **P E R I D E N T I T A T E M**, innuendo talem implicationem: Verbum est suppositum, quod est Homo.

265. *Sed quid ampliore probatione opus est, cum ipse Iesuita ab insigni mendacio (quod mihi pro sua insigni proteruia imputat) me liberet, seq̄, mentiri ostendat, scribens: Bonauenturam in quæstionibus 3. sentent. repudiare eorum sententiam, qui illas identicas faciunt. Ergo fuerunt Scholastici, qui eas identicas fecerunt? Et mentitur Iesuita, quod nemo eas identicas fecerit nisi Schegkius.* Mend. 105.

266. *Nec quia dissimilime Scholasticorum de qualitate harum propositionum sententiæ extiterunt: Ideo nulli eas identicas sinxerunt. Nec ego ab omnibus id factum esse, scripsi. Videt autem Lector Christianus, quantis tenebris & erroribus homines seipsos (iusto Dei iudicio) immergant, quando luce Verbi diuini spreta vel neglecta, mysteria pietatis simplici fide honoranda, Regulis Philosophicis impiè astringere conantur. Quæ ratione etiam fit, vt nusquam consistere possint, sed secum ipsi & cum alijs digladiantur. Quod in præsentis negotio cernere licet: vbi quidam propositiones dictas fingunt identicas, alij per se & substantiales, alij accidentales. Quæ tamen opiniones omnes falsæ & explodende sunt.*

267. *Rectè autem Bonauentura statuit, eas esse singulares & inusitatas. Verba eius lib. 3. dist. 7. q. 1. sic habent: Cùm dicitur, Deus est Homo: hic est SINGULARIS modus prædicandi: Non enim est talis prædicatio per essentiam, nec per causam, nec per inhærentiam: sed est prædicatio per vnionem. Ideo enim Homo prædicatur de Deo, quia vnitur ei in vnitatem personæ. Et quoniam hæc VNIO est SINGULARIS: non est mirum, si SINGVLAREM modum exigit prædicandi, &c. quia talis prædicatio NON REDUCITVR AD ALIOS MODOS prædicandi CONSVETOS.* Bonauentura, propositiones de Christo, inusitatas esse sentit.

268. *Hæc legens & intelligens Iesuita, nec ea improbare audens, gloriam tamen Christo Homini & veritati dare noluit: sed pergens in malicia & peruersitate sua scribit: OMNES allatas propositiones REVOCANDAS esse ad propositiones, quas Aristoteles faciat PRIMIMO: DI PER SE: quæ sint IN MATERIA NATVRALI, & SPECIEI de suo indiuiduo. Quæ omnia falsissima, & cum enormi impietate coniuncta sunt; quod hoc stupendum Mysterium, omnemq̄ captum humanum* Fol. 28. Impius error Iesuitæ.

transscendens, ad mensuram Rationis humanae & Regulas vsitatas reuocat: quibus tamen minimè quadrat.

Primus mo-
dus PER SE.

269. Primo enim modo per se, dicuntur, quorum prædicatum est de essentia & definitione subiecti. Ut cum genus vel differentia de specie, vel species de indiuiduo dicitur. Quorum nihil sit in propositionibus istis controuersis. Nam in propositione: Deus est Homo: prædicatum nec de essentia nec definitione subiecti est: sicut nec in hac: Homo est Deus. Sunt enim disparata.

270. Enunciantur aut prædicata de subiectis in illis propositionibus propter unionem Dei & Hominis personalem. Quæ ut singularis planè est: ita quoque prædicatio: nec ad modum vsitatum reuocari potest, (sicut rectè scripsit Bonaventura:) cum termini sint disperati; qui propositionem, secundum Rationem & Naturam creatam, impossibilem constituunt.

271. Nec impietate singulari caret, quod Iesuita & Scholastici dicere audent: Has propositiones esse IN MATERIA NATURALI: cum potius sint in materia remotissima, & toto genere distante. Deus enim & Homo differunt ut Creator & creatura, infinitum & finitum, æternum & temporale: sunt quoque termini penitus disperati, qui naturaliter seu secundum potentiam Naturæ non possunt de se inuicem verificari, ut loquitur Biel loco citato.

272. Ut verò hæc unio disparatorum, & à se inuicem longissimè distantium, non nisi virtute Altissimi facta est: ita quoque prædicatio in his propositionibus materiæ remotissimæ, non nisi propter unionem omnipotentiam Dei factam, minimeque naturalem, vera est. Cumque Iesuita in præcedentibus dixerit: Vocem Homo, ex parte prædicati obtinere rationem Naturæ: quod de Natura humana singulari accipi debet, cum Deus Verbum non assumerit Naturam humanam in specie: Quomodo ergo verum est, quod nunc dicit, Hominem prædicari de subiecto, sicut speciem de sua hypostasi? Cum Deus Verbum sit homo ille singularis ex Maria in communionem personæ assumtus?

Nugacitas
Thom. p. 3.
q. 16. de pro-
pos. Deus est
Homo.

273. Ut aut nugacitas quorundam Scholasticorum (quos Iesuita sequitur) amplius pateat, nos quoque lucem Verbi diuini præcisè sequi discamus: adscribamus vanitates Thomæ (quas Iesuita hinc attingit) de propositione, Deus est Homo. Viedtur (inquit) quod propositio, Deus est Homo, sit falsa. Quia omnis affirmatiua in materia remota est falsa, ubi formæ per subiectum & prædicatum significatæ, sunt maximè distantes. Ad hanc obiectionem respondet Thomas: Quando formæ, (id est, naturæ seu essentia) diuersæ, non possunt conuenire in vnum suppositum:
tunc

tunc oportet, quod propositio sit in materia remota, cuius subiectum significat vnam illarum formarum, & prædicatum aliam. Tales autem sunt formæ in propositionibus, de quibus modò lis est. Hæ quidem per omnipotentiam Dei sunt in vno supposito: eas verò naturaliter seu per Naturæ creatæ potentiam in vnum suppositum conuenire, impossibile est. Ideo sunt in materia non naturali sed remota. Pergit Thomas: Sed quando duæ formæ possunt conuenire in vnum suppositum: non est materia remota, sed naturalis vel contingens. Sic Natura diuina & humana, quamuis **SINT MAXIME DISTANTES**, tamen sunt per incarnationis mysterium in vno supposito, cui neutra harum inest per accidens, sed **SECUNDVM SE**. Et ideo hæc propositio, Deus est Homo, **NON EST IN MATERIA REMOTA**, neque in materia contingenti, sed **IN MATERIA NATURALI**: & prædicatur Homo de Deo non per accidens, sed **PER SE**, sicut de sua hypostasi: non quidem ratione formæ, (*id est, Natura*) significatæ per hoc nomen Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis Naturæ humanæ.

274. In his verbis Thomæ (quæ Iesuita pro sua stulta impietate confirmanda allegat) multa sunt errata & peccata; quibus Spiritui sancto in Scripturis diuinis, patribus Orthodoxis, nonnullis Scholasticis & saniori Philosophiæ contradicit. Primum est, quod Natura humana sit in supposito personæ diuinæ **SECUNDVM SE**, vel per se. Alterum, ex primo fluens: quod propositio; Deus est Homo; **NON SIT** in Materia remota sed naturali. Quæ Assertio non solum falsa, sed etiam impia est; quia ex Magno & suspiciendo pietatis mysterio (quod supernaturale, super cœlestes & diuinum planè est) rem naturalem & Rationi humanæ comprehensibilem fingit. Tertium, quod Homo de Deo **PER SE** prædicetur. Cuius falsitas prius ostensa est. Quartum, quod de Deo prædicetur ratione suppositi tantum, & non ratione formæ diuinæ, id est, quod Homo nihil realis communionis cum Natura diuina habeat, sed tantum sustentetur à supposito Verbi; in cuius communionem, absq; communicatione formæ seu Naturæ diuinæ venerit. Quomodo ergò Homo de Deo **PER SE** primo modo prædicabitur? cum huius modi prædicata sint de essentia subiecti?

275. Intelligit opinor Iesuita (si non penitus à Diabolo excacatus est) suas & Scholasticorum inanes & impias nugas; quibus Mysterium incarnationis

perditè peruertunt & adulterant. Cumq; propositiones sepius nominatae, secundum Scripturam planissima ac luce meridiana clariores sint: Iesuita tamen, nebulis Scholasticis ita obtenebrat eas, vt splendor ipsarum vix parum eluceat.

276. Ex dictis quoq; liquet, propositiones illas nec FERRE identicas esse. Quod contra Doct. Iacobum Andr. (referente Busæo) defendit insignis ille Nugator Gregorius de Valentia: cuius nugæ, falsitates, errores, deprauationes & impietates, (quibus libri ipsius scatent) solide confutari possunt ijs rationibus ac testimonijs Scripturæ & Patrum, quæ in mea Assertionem de diuina Maestate Christi Hominis (à Busæo & Gregorio socijs armis impugnata) continentur. Vt verum maneat quod D. Iacobus Andr. scripsit; Me quoq; Gregorio in plerisque respondisse.

277. Nec moror, quod per contentum ludit Sycophanta: Me tam ingeniosum esse, vt NIHIL eorum, quæ acutissimè ab illo Theologo disputata sint, intelligam: tantum abesse, vt ad ea vnquam respondere possim. Vt autem specimen aliquod horum Seraphicorum & acutissimè disputatorum exhibeam: transferam huc pauca, quæ in Defens. sua contra D. Iac. Andreae, de his ipsis propositionibus futilissimè scripsit.

Greg. de Fallentia, in Defensione pag. 45. & 46. Gregorij stulta peruerfitas.

278. Neq; valde (inquit) contendimus, de illa tua locutione, cum dicis, carnem fieri Verbum: si sensus sit IDEM, nempe factum esse, vt Verbum sit Homo. Secundum hanc bellam acutissimi scil. matæologi expositionem, sensus huius propositionis, Caro facta est Verbum, is erit: Factum est, vt Verbum sit Homo. Est. n. (inquit) verissimum, personam ipsam Verbi esse suppositum, habens humanam Naturam. Id quod hac oratione significo, Verbum est Homo. Propositio ergo: Verbum est Homo: secundum Fallentianum, hunc sensum habebit: Persona Verbi, est suppositum seu persona Verbi, habens humanam Naturam. Quis autem præter reprobos sophistas vnquam sic insaniuit?

279. Subiungit: Illud est, quod cum Scholasticis doctoribus asfero, ac tibi instituo probare: Non posse ipsam Humanitatem Christi, &c. verè & PROPRIE dici esse Verbum, aut Deum, omnipotentem, nisi sit IDEM (essentialiter videlicet) ipsa quod Verbū, ac Deus, omnipotens. Hic si vocabulum PROPRIE idem significat, quod secundum proprietatem Naturæ & essentia, (quam acceptionem sequentia verba postulant:) quem queso aduersarium Iesuita habet, vt quod dixit, probare instituat? Verum, alio quoq; modo, i. per vnionem personalem, Humanitas Christi, Caro seu Natura assumpta, Deus facta esse, à patribus dicitur. Quod Iesuita inficiatur.

280. In sequentibus quod significat: Verbum verè ac propriè dici esse Hominem, quia Verbum identicè sit illa ipsissima persona seu suppositum, quod habet Humanitatem: hoc falsissimum esse, ex prædictis liquet. Ea verò ita abstrusa & sublimia Iesuita videntur, ut annectat: Hæc ut intelligas, attentum te volo. Persentiscit Lector stolidissimam superbiam huius nugacissimi impostoris; ut cum partim, omnibus obuia, quæ nullam ængiſteræ aut controuersiam habent; partim falsissima, quæ pueris etiam mediocriter institutis improbantur, proponat: attentionem tamen postulet, ac si cherubica quedam & paucis cognita proferret.

Verbum est
Homo: secundum Gregor.
propositio
identica.

281. Idem pag. 110. scribit: Iuxta Thomam & Iesuitas, eius enunciationis (Deus est Homo) sensus est: persona diuini Verbi, quæ eadem verissimè est Deus, verè item est Homo, i. habens Naturam humanam vnitam sibi hypostaticè. Idem est ac si insaniat Iesuita: Persona Verbi Diuini est persona Verbi Diuini, quæ habet Humanitatem sibi hypostaticè vnitam. An non hæc sunt acutissimè dicta? & quidem stulta opinione Iesuita tam acuta, ut per parenthesis denuo attentionem postulet, dicens: Velim vim enunciationis à te animaduerti.

282. Ibidem: Sensus huius etiam enunciationis (Homo est Deus) iuxta Thomam & Iesuitas hic est: Filius Dei sustentans Humanam Naturam est Deus. Vbi predicatum denotat non Deum absolutum, sed Deum genitum, i. Filium Dei. Ut propositionis, Homo est Deus, sensus Iesuiticus sit: Filius Dei sustentans humanam Naturam est Filius Dei. Quam hæc sunt acuta & abdita, ut præ ineptissima absurditate à nullo Lutheranorum intelligi possint?

283. Idem pag. 165. Hominem illum, i. suppositum, in quo hypostaticè sustentatur Humanitas, quiq; adeò est Homo, significo IDENTICE (non quidem secundum formam, sed secundum hypostasim) esse Deum. Quis obsecro hæc mysteria Iesuitarum assequi potest, Hominem significare identicè Filium Dei æternum, in quo Humanitas subsistat; & tamen hunc Filium Dei non esse Deum secundum formam, i. naturam, sed tantum secundum hypostasim? Quæ hæc est stultitia? quæ insania? Quis talia portenta vnquam legit vel audiuit? priusquam Iesuita & Scholastici hoc modo desperent? Verum, satis de angelico acumine Valentiani; cuius nugæ tantopere suspicit & deprædicat Buseus.

284. Quæ in postremo articulo Responsionis suæ pro Thesi 17. de identitate varia otiosè garrit; mittimus. Nobis n. duntaxat sermo est de propositionibus

Fol. 28. f. 2.

identicis propriè sic dictis: in quibus secundum descriptionem Iesuita paulò antè datam, idem de seipso sub eodem vel diuerso nomine prædicatur.

Panis benedi-
ctus quomo-
do corpus
Christi esse
dicatur.
I. Cor. 10.

285. *Quod verò ex doctrina sua de identitate, euincere conatur: hanc propositionem Orthodoxorum, (panis est corpus Christi) falsam esse, quia nullam habeat identitatem prædicatum cum subiecto, nec hypostasis, nec naturæ: item falsam esse & hanc, Humana Natura Christi vel Homo (vt significat humanam tantum Naturam) est Deus; quia hac propositione nulla significetur identitas prædicati cum subiecto; Cùm Natura humana vox abstracta sit, quæ naturam significet non aut personam; in qua tamen sola identitatem habeat cum Natura diuina, vtpote cum qua in persona tantum vniatur. Patet Iesuitam peruersitate sua ita excæcatum esse, vt de his mysterijs velut cæcus de colore iudicet. Est. n. panis benedictus corpus Christi propter vnionem & communionem sacramentalem; quam institutio Christi efficit. De qua Paulus ex verbis institutionis: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Hic licet panis & corpus Christi per naturam & essentiam non sint idem, non sint in materia naturali sed remota, nec corpus Christi in pane, aut panis in corpore tanquam in hypostasi subsistere dicatur: vera tamen est propositio illa mystica, singularis, & inusitata, propter causam dictam.*

286. *Similis ratio est propositionis: Natura humana Christi, vel, Homo assumptus est Deus. Hæc enunciatio secundum Scripturam & Patres Orthodoxos vera est propter vnionem & communionem personalem Dei & Hominis. Quam quia Iesuita falsitatis damnat: non solum Spiritum veritatis & Orthodoxam Antiquitatem mendacij sceleratè arguit, sed etiam in Christum Hominem per quem salus nobis parta est, impius & ingratus est.*

Contra The-
si 18.

287. *Ex his liquere arbitror; nullos meos crassissimos errores, nullas cauillationes, sed rationes verissimas esse, quas impijs & hereticis absurditatibus Iesuita opposui. Et quidem hætenus multa, de stulta et heretica peruersione propositionis: Homo est Deus. Cuius in Thesi 18. aliam deprauationem è penuriorundam Scholasticorum depromit, quodd sensus eius sit: Filius Dei QVATENVS sustentat Humanam Naturam est Deus. Cuius insulsa falsitas cum ex prædictis nota sit; eius refutatione supersedebo.*

288. *Ceterum, cum propositionum: Filius Dei est Homo: & Homo est Deus: hanc sententiam esse dicimus, vt intelligatur, Deum & Hominem esse vnum personale, communionem personæ & Naturæ: Hoc*

nemo

nemo improbabit & Eutychianum esse dicet, nisi impius & peruersus Iesuita vel Calvinista. Vt n. Filius Dei realiter sit Homo ex carne & anima rationali consistens: et vicissim hic Homo sit Deus; absq; communiōe Naturarum fieri nequit. Cūq; persona & Natura Dei Verbi tantum ratione non autem realiter differant: stultissimum est dicere, quod Deus & Homo vnus & idem sint communiōe duntaxat persona, non etiam natura: cū persona absq; Natura communicari nequeat.

289. Scripsi: D. Luthero & D. Iac. Andreæ, (docentibus, quod Deus & Homo vnum quiddam sint) per manifestam calumniam Eutychianismū imputari: quandoquidem cum patribus Orthodoxis sic loquentes, (quorum dicta in Assertionē mea citantur) Mend. 106.
Pag. 33-

VNUM PERSONALE, nō essentialē, (vt Eutyches) intellexerint.

290. Oggannit Iesuita: Gregorium de Valentia, non semel demonstrasse in sua Defensione, hanc manifestissimā esse veritatem: cui respondendū fuerit. At more suo fabulatur Iesuita. Nullas n. demonstrationes, sed nugas, mendacia, peruersiones, sycophantias in Defens. Gregorij legimus. Nam quod pag. 71. Defens. (vbi sententiā nostram in Concilio Chalcedonensi damnatam esse, probare conatur) scribit: Quæstionem temporibus Concilij Chalced. hereticorum importunitate ortam fuisse: QVALIS assumpta Natura PER VNIIONEM cum Diuino Verbo EVASERIT, non quidem essentialiter, id est, ex se, neq; physicè aut subiectiuè (seu vt pag. seq. loquitur: non proprietate naturali sua:) sed ineffabili arcanissimoque modo (vniōis) quem isti (vbiquitarij) personalem vocant. Ita cū Concilium definit: Per vniōem non fuisse sublatam differentiam Naturarum, sed vtramque magis permanisse inconfusam, &c. Hoc vtiq; definit, incarnationis mysterio MINIME factum esse, vt arcano aliquo ineffabiliq; modo, QVÆ DIVINA sunt, de Christo Homine secundum Humanitatem affirmari queant. Hoc enim est vtramque Naturam mansisse inconfusam, DE HVMANA Natura SOLVM affirmari posse QVÆ sunt HVMANA: & de Diuina, quæ sunt diuina: neque per vniōem ineffabili modo (DE QVO quæstio erat) Christum secundum humanam Naturam esse illa quæ sunt diuina.

291. Hæc omnia putidissima mendacia sunt, quorum nihil ex Orthodoxa Antiquitate probare potest. Nam vt ex Epistolis Flauiani & Leonis, Mend. 107.
Gregorij de Val. putida mendacia-

Euty-

Status contro-
uersæ tempo-
re Concilij
Chalced.

*Eutythiana hereseos Debellatorum, notissimum est; Questio & status contro-
uersæ temporibus illis inter Orthodoxos & Eutythianos fuit: Vtrum Filius
Dei carnem ex B. virgine nobis consubstantialem susceptam, post
adunationem adhuc retineat; & ex duabus Naturis inconfu-
sis, &c. Christus existat. Affirmatiuam tutati sunt Orthodoxi. Eutythes
verò cum complicibus voluit: Post vnitatem, VNAM NATVRAM fa-
ctam esse. Quod Orthodoxi impugnarunt: duasq; Naturas perfectas & in-
confusas in Christo esse, asseruerunt.*

Isidorus de
Eutythianis.

292. *Idem de Eutythianis confirmat Isidorus, lib. 8. scribens: Eutythia-
ni dicti ab Eutyche Constantinopolitano Abbate, qui Christum
post humanam assumptionem NEGAVIT existere DE DVABVS
NATVRIS: sed SOLAM in eo asseruit DIVINAM Naturam esse.*

293. *Ex hoc Antiquitatis testimonio de mendacio Iesuitæ lucullento con-
stat, quod temporibus illis questio non fuerit: QVALIS Humana Natura
per vnionem EVAERIT: Sed, an post adunationem manserit, & non
potius in Naturam diuinam (quod Eutythes voluit) essentialiter transierit, sicq;
VNA Natura facta sit.*

294. *Simile mendacium est: Quòd cùm Concilium definit: per
vnionem non fuisse sublatam differentiam Naturarum, &c. hoc
vtiq; definire; incarnationis mysterio minimè factum esse, vt quæ
diuina sunt, de Christo Homine affirmantur, &c. Hoc sine omni pro-
batione fingit & mentitur Iesuita contra mentem Concilij; de qua ex Ortho-
doxorum scriptis luculenter nobis constat. Nec tale quid definire potuisset, nisi
Scripturæ manifeste, & toti Orthodoxæ Antiquitati (quæ DIVINA de
Christo secundum Humanitatem frequentissimè prædicat) apertè contradicere
voluisset. Sicut in Cap. 4. & seq. Assertionis meæ clarissimis ipsorum testimonijs
firmissimè docetur.*

Leo Mag.

295. *Et ipse Leo, qui Eutythiana hereseos expugnator fuit, Epist. 3. scribit:
quòd forma serui, seu Humana humilitas IN GLORIAM DIVI-
NÆ POTESTATIS euecta sit. Idem Epist. 81. QVICQID in tem-
pore accepit, SECUNDVM HOMINEM accepit, cui quæ non
habuit, conferrentur. Accepit autem in tempore OMNEM & ÆTER-
NAM potestatem, (Dan. 7. Matth. vlt.) quæ est potestas Dei propria. Accepit
vt Homo gloriam, quam vt Deus habuit ante constitutionem mundi, Ioan. 17.*

296. *Tertium mendacium Fallentiani est, quod addit: Hoc enim est,
vtramq; Naturam mansisse inconfusam, DE HVMANA Natura*

SOLVM

SOLVM affirmari posse, quæ sunt Humana; & de Diuina, quæ sunt diuina, &c. Sic etiam cum statuit Concilium ibi, &c. permansisse magis saluam vtriusq; Naturæ proprietatem certè statuit, factum minimè esse, vt arcano ineffabiliq; modo vnionis, quæ diuinæ Naturæ erant propria, fierent cum Natura assumpta **C O M M V N I A.**

297. Respon. Patres Orthodoxi secundum Scripturam vtrumq; clarissimè docent: & Naturas in Christo inconfusas, saluas & integras esse: & de Natura humana prædicari Dei propria, eiq; diuina communicata esse, per gratiam vnionis, qua in communionem Diuinæ personæ, Deitatis, & gloriæ assumpta est. Hinc illud pronunciatum, à patribus sapissimè repetitum: **Q**UÆ Christus NATURALITER habet **V**T DEVS: HÆC dicitur per vnionem ACCIPERE VTHOMO.

Athan. ser. 4.
con. Aria Nys.
orat. 2. de Resur.
Christi
Cyril. 1. 8. The.
c. 1. & c. 10. Th.
c. 2. Theod. in
Ps. 110. Seuer.
in Cat. aur.
Thomæ.

298. Eiusdem generis cum prioribus sunt alia plura mendacia, quæ in Gregorio sequuntur: quæq; Busæo opinor speciem demonstrationis habebunt. Vt, cum pag. 74. scribit: Te Schmideline, anathemate (Conc. Chalced.) percuti, manifestè conuici, (si scilicet per mendacia turpissima quis conuinci potest) quòd asseueras; Humanam Christi Naturam esse ipsam omnipotentiam diuinam omnipotentem. Nam cum vis non tantum diuinam, sed etiam Humanam naturam esse omnipotentem: (attendat Lector demonstrationem Fallentianam futilissimam) nonne hoc ipso Diuinam Naturam expolias proprietate eius attributi? Non sequitur Domine Gregori: quia diuersa ratione idem de vtroq; enunciatur. Sicut alibi docetur.

299. Fortius instat, et vrget nos Demonstrator: Quid est enim omnipotentiam diuinam esse Naturæ diuinæ propriam? certè non aliud, quàm ipsam solam ex omnibus Naturis esse omnipotentiam tali omnipotentem. Respon. per Naturam & essentiam **S O L A** omnipotens est. Quod verò Iesuita infert: Tollis igitur eam Naturæ diuinæ proprietatem, cum aliam etiam Naturam nempe humanam, illam ipsa omnipotentia contendis esse omnipotentem. Hæc collectio falsissima, & in Christum Hominem impiissima est; qua ei diuina omnipotentia per detestandum scelus derogatur. Deo Verbo. n. omnipotentiam suam essentialem & naturalem velut propriam retinente, Homo ille in communionem realem (non essentialem) vt personæ, ita quoq; Deitatis & gloriæ assumtus est. Quod innumeris

K meris

meris propemodū testimonijs Scripturæ et Patrum, cap. 4. et sequent. Assertionis meæ probavi, quò Lectorem breuitatis causa remitto.

300. Vnum & alterum de omnipotentia communicatione hîc subiiciam:
 Nyssenus de communicatione omnipotentia. Gregorius Nyss. de Anima. Deus Verbum, &c. TRADITE IS (corpori & Animæ) SVÆ DEITATIS VIRTUTEM. Hoc ipsum est, quod Petrus Act. 10. ait: Deum vnxisse Iesum Nazarenum VIRTUTE; vt obambulans omnes à Diabolo oppressos sanârit. Eusebius lib. 4. Demonst. Euang. Cap. 13. scribit: Verbum ex seipso sva quidem communicatione assumpto: non autem vicissim, ex natura mortali, ea quæ ipsius sunt in se recipiebat. Et DIVINAM quidem VIRTUTEM Mortali subministrabat: non autem vicissim ad consortium Mortalitatæ Natura Verbi detracta est.

Impia & vanissima vanitas Fallentianæ pag. 74.

301. Demonstrationes Fallentianas claudâ duplici ipsius grossogq̃ mēdacio: Non tantum (inquit) voluit definire Synodus (Chalc.) id quod extra omnem controuersiam erat, nempe, Humanitatem non esse naturaliter aut essentialiter omnipotentem omnipotentia diuinâ: sed NE Mysterio quidem arcano vnionis, DE QVO DISPUTABATUR. Huius turpissimi mendacij vanitas ex statu prius posito euidenter liquet.

302. Subiicit aliud facundum: Vt interim (ait) præteream, quod suprâ satis demonstraui, non posse Humanitatem verè ac PROPRIE (vt vos vultis) esse & affirmari omnipotentem omnipotentia diuinâ, quin eo ipso significetur, naturaliter, essentialiter, & IDENTICE esse omnipotentem. Nam sicut nomen DEVS, PROPRIE non significat nisi id, quod est DEVS per essentiam: ita nomen omnipotens. Quo fit, vt confundendo proprietates, consequenter tollatis veritatem Naturæ humanæ, NON MINVS quàm sustulit parens ipse Vester Eutyches.

303. Hîc si vox, PROPRIE, significet proprietatem Naturæ & essentia: Verum est quod de omnipotentia dicit: Falsum verò, quod nos illud velimus. Si autem intelligat, Humanitatem nullo alio modo nisi per essentiam posse omnipotentem dici: tum Scripturæ & Orthodoxæ Antiquitati impudenter et impiè aduersatur; quæ per & propter vnionem personalem cum Verbo omnipotente, Naturæ assumptæ omnipotentiam disertè tribuit: vt modò probatum. Quâ ratione nec proprietates (propter diuersitatem attributionis) confundimus; nec veritatem Naturæ humanæ Eutychiano modo tollimus.

304. Hinc

304. Hinc patet: *Busæum*, eiusdem Patris cum *Gregorio Filium*, mentiri; quòd *Fallentianus* in sua *Defensione demonstrarit*, *Lutherum*, *D. Iac. Andræ*, & discipulos ipsorum, *Eutychetis hæresin* probare.

Mend. 103.
Fol. 29.

305. Mendacium quoq; esse liquet: Quòd ex illis, quæ sentiamus, sequatur: (etsi tergiuersemur:) *Hominem & DEVM esse VNVM ESSENTIALE.*

306. Estq; inscientissima collectio *Iesuitæ*; Quia nostra confessione, vnio personalis non sit facta absq; mutua communicatione *Naturarum & proprietatum*: Ideò etiam secundum essentiam vel essentialiter esse factam: vt sic *DEVS & Homo* sint *VNVM ESSENTIALE.* Non enim omnis communicatio realis (sicut nec vnio) essentialis quoque est.

307. Nec quia cum patribus *Orthodoxis fateor*: Totum *Christum* etiam secundum *Humanitatem*, esse adorandum cultu *Latriæ*, esse omnipotentem, vbiq; Item *carnem seu Hominem assumptum* esse *Deum*: Ideo hæc propositiones vera esse non possunt, nisi identitas etiam *Naturæ* inter subiectum & predicatum intelligatur. Hæ enim prædicationes omnes vera sunt propter vnionem personalem *Dei & Hominis*. Et quia vnio & communicatio per vnionem facta, non est essentialis: nec etiam hæc prædicationes essentialis esse necesse est.

Defens. pa. 76.

308. Estq; hoc valde absurdum & ridiculum, quod cum *Fallentianus Socio Busæo cõtradicens*, & *Christo*, vt *Homini*, nonnihil propitius, Eum omnino cultu *latriæ* adorandum asseueret; omnipotentem tamen, omniscium, & omnipræsentem esse neget.

309. Ad hæc, sicut *Lutherus & D. Iacobus Andrea*, *Orthodoxos Patres* in doctrina de vnione & communicatione personali secuti sunt: Ita quoq; hæc in parte cum scripserunt: quòd *DEVS & Homo* sint vnus, videlicet personale. Nec diuersum de illis *Iesuita* rationibus veris probare potest. Et vtrumq; rectè dicitur; quòd *DEVS & Homo* sint vnus personale, seu vnus *ἰψὸς ἀμύρονος*: & quòd sint vnus, nempe *CHRISTVS*.

De VNO Personali.

310. Nec etiam diffitemur, *Vnum*, in genere neutro, nonnquam *Naturam*; vocem verò, *VNVS*, personam denotare. Vt in articulo *S. Trinitatis*, cum tres personæ vnus essentiâ dicuntur. Quò pertinent dicta *Basilij lib. de Spiritu S. Cap. 17. Ambrosij de incar. Dom. Sacramento, Cap. 7. Et Thomæ in par. 1. Sum. Theo. q. 31. ar. 2. Vbi tamen notandum*; Verba *Ambrosij* non simpliciter accipienda esse, cum dicto loco scribit:

Non enim quod eiusdem substantiæ est, vnus, sed vnum est. *Nam veritati nequaquam repugnat, cum Pater, Filius & Spiritus S. vnus numero & essentiã DEVS dicuntur. Quando verò Augustinus ser. 1. de prima par. Psal. 101. scribit: Verbum & Caro non vtrumque vnum: Pater & Verbum vtrumq; vnum: quiuis sana mentis intelligit, ipsum hoc velle, quòd Verbum & Caro non sint vnum & scilicet, sicut Pater & Verbum in S. Trinitate.*

Contra The-
si 19.
Mend. 109.

Nazianz. Epi-
stola 1. ad
Cled.

311. *In Thesi. 19. (cum ab homine vano nil nisi vanitas et mendacium proficisci possit) nugatur: Expositionem nostram, (quòd DEVS & homo sint vnum personale) refelli perspicuis S. Patrum Testimonijs. Hæc verò cum ponderantur: ne quicquam officiunt nobis, sed potius confirmant doctrinam nostram. Sic enim Nazianzenum scribentem producit: Aliud quidem & aliud sunt ea, ex quibus Seruator est: non aut aliud & aliud. Et B. Augustinus in Ench. Cap. 36. et contra Felician. Cap. 11. Diuina substantia & humana, vtraque est vnus Dei Filius; sed aliud propter verbum, & aliud propter hominem. Deinde LEO Epist. 10. ad Fla. Verbo operante, quod Verbi est, & carne operante, quod carnis est: vnum horum coruscet miraculis, aliud succumbit iniurijs. Ex his patrũ dictis colligit Iesuita; Quòd si Deus & Homo aliud sunt & aliud, non aut aliud & aliud, sed vnus (cõmunionem scilicet personæ tantum, nõ naturæ) non possunt certè dici vnum quiddam, sed vnus quidã tantum.*

312. *Quis verò præter Iesuitas, (quos odium Maiestatis Christi Hominis excacauit) tam cæcus & stupidus est, vt non intelligat, patres hoc tantum velle; quòd DEVS & Homo non sint vnum per Naturam & essentiam: quòd verò vnum sint personale, minimè negare? Nam ipse Nazianzenus modò dictis immediatè addit: Ambo enim hæc commixtione (id est, vt Rusticus diaconus hanc vocem declarat, vnitione, non Naturâ) vnum sunt. Hanc responsionem Iesuita suo silentio comprobauit, cum ad eam ne hisceret quidem, seq; mentiri intelligeret, quòd nostræ expositio sententijs patrum refellatur.*

Crimen falsi
Iesuitæ, in Ver-
bis Nazian.
truncandis.
Fol. 30.

313. *Obieci illi crimen falsi: quòd hæc postrema Verba Nazianzeni, vt contra ipsum facientia, fraudulenter omisisset. Hoc quamuis verè excusare non posset: ne tamen veterator culpam & crimen agnoscere videretur; balbutiendo & miseris nugis effutiendo respondet: Se non potuisse crimen falsi committere MAGIS, quàm B. Thomam; ex cuius 3. par. q. 2. ar. 3. hæc tria Testimonia ad verbum descripsit. Cur aut postrema verba illa à Thomâ & à se RECTE omissa sint, duas posse*

posse dari causas. Vnam esse, quòd (vt annotarit Nazianzeni in-
terpres) Verba illa in græcis codicibus ambiguè legebantur, εν τῆ
συνκρίσει: vt nescias, sit né Εἰ Nomen numerale potius quàm P ræ-
positio. Alteram esse; quia esse copulatione vnum, non sit simpli-
citer esse vnum quiddam, vel rem vnam, sed vnum in persona vel
subsistentia tantùm.

314. Quis autem non animaduertit, has esse inanes φλυαρίας? quibus cri-
men non palliat, sed detegit, & auget, quòd scienter & malitiosè illud commi-
serit. Cùm Verba illa Nazianzeni sibi incommodare videret.

315. Nam quid manifestius ex verbis Nazianzeni immediatè preceden-
tibus, quàm voculam Εἰ, esse nomen numerale, & nequaquam præpositionem?
Quàm enim ineptus, obscurus, & propè nullus esset sensus, dicere: Aliud atque
aliud sunt ea, ex quibus Seruator constat, &c. Non autem alius at-
que alius, absit: ambo enim hæc in commixtione sunt? Hunc sensum
elegantiæ græcæ lingue non admittit: nec versio hæc appositè precedentibus re-
sponderet. At sensus tum planus, apertus, & antecedentibus conueniens est, cùm
dicitur: Non alius atq; alius: ambo .n. hæc (Deus & homo) vnum
sunt copulatione. Deinde, sequentia quoq; docent, Εἰ esse nomen numerale,
nec præpositionem: Vbi nempe Nazianzenus comparationem instituit inter
Christi personam et S. Trinitatem, scribens: Dico aut alius atq; aliud, (in
persona Christi esse) è contrario quàm in Trinitate res habet. Ibi .n.
alius atq; alius, vt non confundamus hypostases: non verò aliud
atq; aliud. Vnum enim tria & idem Deitate. Hæc postrema Verba simi-
liter omisit Iesuita; intelligens ea respondere precedentibus, & confirmare sen-
tentiam nostram: Quod sicut in Trinitate, tres personæ sunt vnum et idem Dei-
tate, ita in persona Christi Deum & Hominem esse vnum, (non quidem essen-
tiâ) sed vnione personali. Præterea, non maior autoritas Bilij (in dubium vo-
cantis rem planam, & intricantis expeditam,) quàm Rustici, sensum præce-
ditibus conuenientem reddentis, esse debuit.

316. Altera causa Iesuitæ idcirco magis friuola est, quòd nihil eorum quæ
dicit, (si rectè accipiantur) à nobis negetur. Nisi quod addit: Naturas imme-
diatè in vnam personam vniri, non esse aliud, (si propriè loqua-
mur) quàm esse vnum masculinè. Nam rectè & propriè quoq; dicitur,
secundum Orthodoxorum patrum dicta, à me in Assert. allata: Quòd Deus
Homo sint v n v m, personale videlicet, vel vnum vnitione.

317. Deinde, vt vbiq; sycophantiam prodat: pungit me, quod in versio

verborum Nazianzeni pro copulatione posuerim commixtione. Cum nemo graeca lingua peritus ignoret, me proprietatem vocis (συγκράσις) expressisse. Ne autem commixtio vel confusio Eutychniana intelligeretur; statim subiecti declarationem Rustici, verba Nazianzeni hoc modo exponentis: Dicitur vnum commixtione, id est, vnitione, non naturâ, vnum.

318. Præterea, etsi Iesuita à conscientia propria criminis conuincatur: illud tamen non solum purgare studet: sed etiam præ malitia & peruersitate insaniens retorquet: A me crimen falsi commissum esse in truncandis Nazianzeni Verbis. Quomodo hoc? Dicit: Quæ sequuntur, quia contra se facere intellexit, fraudulenter omisit. Quæ nam sunt illa? Deo (inquit Nazianzenus) Humanitatem, atq; Homine diuinitatem suscipiente: aut quocunq; tandem alio Verbo quispiam eam rem exprimendam duxerit.

Mend. 110.
Fol. 30. f. 2.

319. Hæc, quia nec contra me, nec quicquam ad rem præsentem faciunt, (quod quiuis sanæ mentis intelligit:) ea recitare nolui. De hoc enim quæstio est; AN DEVS & Homo, rectè dicantur vnum personale, seu vnum vnitione, non Naturâ? Id pluribus Patrum dictis, & in his etiam Testimonio Nazianzeni confirmo. Quæro igitur: quomodo illa à me omissa contra me faciant? An peruersus Homo finget, Nazianzenum sibi ipsi contradicere? Verùm ipse Iesuita à crimine falsi mox iterum me absoluit, cum verbis Nazianzeni immediatè subiicit: Eum dubitare quodam modo de modo loquendi, NON DE RE IPSA. Quod ipsum & nos sentimus, Nazianzeno de re ipsa (Deum videlicet & Hominem esse vnum vnitione) nullum prorsus dubium fuisse. Quocirca nec crimen falsi commisi, omittendo ea quæ nihil contra me faciunt.

320. At cum Nazianzenus dixisset: τὰ ὅτι ἀμφότερα ἐν τῇ συγκράσει, θεὸς μὲν ἐνανθρωπησάντος, ἀνθρώπου δὲ θεοθέτου: Id est, Ambo enim vnum commixtione, Deo quidem Homine factò, Homine autem factò Deo. Hic ad vocem συγκράσις, & sequentes respiciens, addit: ἢ ὅπως ἀρσις ὀνομάσις: Id est, aut quomodocunq; quis nominauerit. Sentiens, alijs quoq; verbis rem illam exprimi posse.

321. Porro, sicut in Trinitate, tria illa non tantum VNVM sunt, sed etiam VNVS Deus dicuntur; sic quoq; in persona Christi (licet ratio diuersa sit:) Deus & Homo vnum & vnus Orthodoxè dici possunt. Quodq; vnum sint, modo dicto: pluribus testimonijs Patrum in Assertionem meam confirmari. Quibus adhuc addam vnum atq; alterum.

Cyrillus: Verbum & car
VNVM.

322. Cyrillus de incar. vnig. Cap. 26. DEVS Verbum, ea quæ sva sunt,

sunt, propriæ **CARNI** semper attribuit: adunatum verò semel, iam cum ipsa **VNUM** scilicet æstimabitur. *Hieronymus in Cap. 4. ad Ephes. (vt adimpleret omnia)* Dum iam Humanitas cum Diuinitate **VNUM** effectum est. *Hoc quomodo factum sit, explicat Chrysostomus Hom. 10. in Ioannem.* Vnitate & coniunctione **VNUM** est Deus Verbum & caro: **NON** confusione aut interitu substantiarum sed arcanâ quadam & inexplicabili vnitate.

324. *Non ergò rectè sed stultè colligit Iesuita: Ideò in Christo esse aliud & aliud: quia Humanitas & Diuinitas NON sint vnum & idem. Nonit enim Iesuita, nos non essentielle sed personale vnum intelligere. Sin dicam: In Christo est aliud & aliud: Ergo Humanitas & Diuinitas non sunt vnum & idem per Naturam & essentiam, tum collectio vera est.*

325. *Hinc simul quoq; patet: nullum meum mendacium esse, quod Iesuita reuincendum fuerit, aut cuius me conuicerit: sed ipsum continuò mentiri, & nil nisi mendacia, cum de suo loquitur, vomere. Quod ex sequentibus etiam euidentis erit, vbi fabulatur, quòd per summam imprudentiâ fertilem materiam sibi hîc subministrârim, meo me iugulandi gladio. Videamus ergo stratagemata, vel potiùs mendacia & vanitates Iesuitæ.*

326. *Primum putidumq; mendacium est; quòd nulla necessitate coactus, sed tantùm vt videar quoque Antiquitatis gnarus, citârim Rusticum diaconum. At quia voce commixtionis, (qua Nazianzenus vsus est) aliquis abuti, & in sensum peruersum eam trahere poterat: subiunxi (vt priùs à me dictum) expositionem Rustici.*

327. *Alterum mendacium, et priori impudentius est: quod PRO DEFENDENDA antiqua versione Nazianzeni eiusq; interpretatio- ne, citârim Rusticû. Nemo .n. præter reprobum Iesuitã non intelligit, id declarationis causa à me factû esse, vt videl. genuinum autoris sensum redderem.*

328. *Postea gladio admodum haberi & plumbeo me adoritur, vel potiùs Andabatarum more cum laruis & vmbriis pugnat. Producit .n. obiectionem Eutychiani cuiusdam: Non posse Christum dici vnum, nisi Deus & Homo sint vnum & idem, nempe essentielle. Ad hanc introducit Rusticum sic respondentem: Deprehensa est versutia tua. IDEM namq; aut personam significat, aut naturam. Igitur eundem quidem dicimus esse Deum & Hominem Christum, NON IDEM verò Naturâ. Quem quæso nostrum tuus hic gladius iugulat?*

329. *Quod autem Rusticus addit: Vnus est igitur Christus, NON vnum,*

Hieronymus.

Chrysostomus.

Mend. III.

Obiectio Eutychiani.

Resp. Rustici.

Rusticus Diaconus.

vnum, sicut simpliciter dicimus. VNUM VERÒ PERSONA, non simpliciter vnum est, &c. *Quis non intelligit, Rusticum his verbis respicere ad heticam opinionem Eutychiani, qui Christum VNUM naturâ esse sensit? Hac opinio cum abest, rectè à patribus Orthodoxis dicitur, Deum & Hominem esse vnum; secundum interpretationem ab iisdem allatam.*

330. *Nec Rustico in mentem vnquam venit, Nazianzeno reliquiq; Orthodoxis Patribus, (qui VNUM personale, non essenziale, statuunt) contradicere. Imò sententia ipsorum disertè astipulatur, cum Christum VNUM PERSONA esse dicit. Non autem SIMPLICITER (sine additione) VNUM dicendum existimat, propter heticos; qui vnum essenziale intelligebant. At si propter hos à phrasi apud Patres recepta abstinendum est: multa testimonia Scripturæ è Biblijs tollenda erunt propter heticorum sinistram acceptionem & deprauationem.*

331. *Quia verò de mente & sententia Patrum constat, quod VNUM personâ, (ut Rusticus loquitur) seu vnum vnione, copulatione, & coniunctione, (secundum Chrysostomum) intelligi velint: Ideo hac phrasi Orthodoxorum (cum Deum & carnem VNUM dicunt,) nemo bonus offendetur. Et Rusticus refert; Talia nonnunquam dici: saluo tamen pio intellectu. Subiungens: Sicut Apostolus sic de vno Homine, tanquam si de duobus locutus est. (Ille qui intus, & is qui foris homo:) sic (Nazianzenus) de duabus Naturis tanquam quasi de vna, non ait vnum esse Christum, nec vnam esse personam, sed simpliciter VNUM Quid. Dicit enim: Ambo hæc VNUM commixtione. Non autem tibi blandiaris (Heticæ) quasi omnino de vna natura se loqui putauerit: alioqui & ego dicam, quia & hîc non sine ADDITAMENTO legitur, VNUM, sed dicitur VNUM commixtione, id est, vnitione, non naturâ VNUM.*

332. *Hæc ex Rustico huc vsq; commemorata, sicut & reliqua ipsius, cum nihil contra me faciant, sed potius nostram sententiâ confirment, dum VNUM personâ & vnitione, admittit; & vnum NATURA, contra Eutychianos nobiscum reijcit: tamen proiectæ nequitie homo subycere audeat: Quæ rogo verba ad retundendam hominis impudentiam idonea esse possunt, si hæc non sunt?*

Fol. 31.

333. *Post hæc, ex Rustico Eutychianum sic obijcientem inducit: Non mihi plura iam dicas: ecce vno te superem sermone. Vbi mihi de cætero fugies? vbi poteris verti? non solum enim quia vnum quid dixit vtraq; sed & addidit, commixtione. Vbi commixtio: ibi omnimodo*

modo & vna ex diuersis natura. Vna igitur ex duabus Domini Christi facta Natura est. *His duo turpissima mendacia addit Iesuita: Vnum: Mend. 112.* quod nihil aliud quæsiuerim, quàm cum Eutychniano isto VNAM in Christo NATURAM fabricari. Alterum, quo prius suffulcire nititur: quòd nimirum istud quæsiuerim, dum MALIM voce commixtionis vti quàm copulationis; qua Billius vsus sit. At Iesuitam mentiri inde liquet, quòd cum vocem Nazianzeni, τῆς συγκατάσεως vnâ cum Rustico propriè reddidissim: eam verò in prasenti materia minùs còmodam agnoscerem, statim illam magis conueniente vocabulo ex Rustico desumpto explicauit.

334. Dum autem Iesuita, partim Eutychnianum, PRO VNO ESSENTIALI (vt ipse Iesuita fatetur) pugnantem, partim verò Rusticum inducit vrgentem, quòd Christus sit aliud & aliud, NON VNVM naturâ, sed duæ naturæ: per summam imprudentiam non animaduertit Iesuita, se gladio hoc patrem suum Gregorium iugulare; eumq; impudentissimi mendacij conuincere; quòd suprâ commentus est: Quæstionem temporibus Concilij Chalced. agitatam fuisse: QVALIS Natura assumpta per vnionem cum Deo Verbo EVASERIT. Huius impudentiam & vanitatem retundit hîc frater Busæus, dum ex Rustico ostendit; Quæstionem inter Orthodoxos & hereticos fuisse, An vna vel duæ Naturæ in Christo sint, id est, vtrum substantia Humanitatis post vnionem manserit? Hanc enim à Diuina Natura consumtam, SOLAMQVE in Christo DIVINAM Naturam esse, (teste Isidoro) contendit Eutyches. Idq; impugnat Leo Epist. 10. Cap. 4. scribens: Sicut Deus non mutatur miseratione: ita Homo NON CONSUMITVR dignitate.

335. Ex his persentiscere potest Iesuita, (si sensu communi adhuc præditus est) suo ipsum & socium impietatis gladio iugulari.

336. In sequentibus pergit nobis per calumniam & mendacium tribuere Mend. 113. venenum Eutychnianum, cuius ex traditionibus nostris conuincamur: quòdq; nostra doctrina dixerit naturarum permixtionem, fermentationem, confusionem. Hac autem nos docere aut dicere, nunquam euincunt Iesuita. Quòd si propter doctrinam de communicatione idiomatum reali, Naturas in Christo nos permiscere, confundere, & venenum Eutychnianum spargere dicent: Orthodoxam quoq; Antiquitatem, imò Spiritum Veritatis in Scripturis diuinis, huius criminis reum agent.

337. Præterea, in Assertionem meam contra Thesin 19. Iesuita, hoc argumento vsus sum: Si (quod contendit Iesuita) vox Homo in propositionibus de
L Chri-

Christo, significat personam Filij Dei in Natura humana subsistentem: tum Filius Dei Homo erit, & Homo Deus, non tantum secundum communionem personæ, sed etiam Naturæ, id est, Actu primo ESSENTIALI, seu essentialiter. Ratio: De persona enim Filij Dei, etiam in Natura humana (*opinione Iesuitæ*) subsistente, Deus ESSENTIALITER prædicatur, cum Filius Dei naturâ & essentiâ sit Deus.

Mend. 114. 338. *Ad hoc inuictum respondet Iesuita; Esse valde luculentum mendacium. Nam in fine eiusdem Thesisi prorsus contrarium se docere ex Thoma, Bonaventura, & Caietano. In dictis (ait) propositionibus; hic Homo est Filius Dei, &: Filius Dei est Homo; prædicata non accidentaliter, nec essentialiter, sed ὑποστασιακῶς (hypostasis enim substantia est) ac PER SE PRIMO MODO subiectis attribuuntur.*

339. *Intelligit eruditus Lector, obiectionem meam, sicut à me allata est, immotam stare; nec vllum mendacium luculentum in ea monstrari posse. Non autem quid in Thesi sua scripserit Iesuita; (quæ responsio insulsa & stulta est) sed quid ex peruersa ipsius opinione irrefragabiliter sequatur: (Quod ipsum obiectione mea euidenter docet:) considerandum est.*

maliria Iesui- 340. *Vbi simul notanda est Sycophantia aut certè malitia Iesuitæ: quod cum argumentum meum inuictum intelligeret, Verba mea nequiter transposuit, ut sibi ipsi materiam ludendi, meq; mendacij per suam vanitatem argumenti, præberet. Nam vbi mea sic habent: De persona enim Filij Dei, etiam in Natura humana (opinione Iesuitæ) subsistente, Deus essentialiter prædicatur: Parenthesi illa hoc vnum Iesuitæ tribuens, quod contra personæ proprietatem statuat, Filium Dei in Natura humana subsistere: ipse verba mea repetendo sic posuit: De persona enim Filij Dei, etiam in Natura humana subsistente, ipse Deus, OPINIONE Iesuitæ, οτιωδῶς prædicatur: Ac si dicerem; Iesuitam hoc disertè profiteri et scribere, quod Deus de Homine, id est, persona Filij Dei, &c. essentialiter prædicetur. Hoc autem, quamuis ex opinione Iesuitæ necessariò sequatur: non tamen ipsum id fateri, sensi aut scripsi. Qua de causa luculentum mendacium (quod mihi Iesuita imputat) euanescit: & ipse Sycophantiam suam luculenter prostituit & manifestat.*

Mend. 115. 341. *Pergit mentiri, mihiq; mendacium vanissimè tribuere, sic nugando: Cùm nemo Scholasticorum scripserit, prædicata illa essentialiter dici*

dici de subiectis: quantum mendacium est, quod addit, Scholasticos ideo vocasse illas propositiones identicas?

342. Respon. Quòd si fortè nullus Scholasticorum istis verbis vsus est: quia tamen Gabriel eiusq; sequaces dixerunt: Extrema harum propositionum supponere pro eodem: Senserunt certè, prædicata illarum de subiectis essentialiter dici (nisi fortè secundum Iesuitam & Scholasticos, persona Filij Dei non sit essentialiter Deus:) hasq; prædicationes alij per identitatem, id est, identicas appellarunt. Quod ex verbis Bonauenturae, Scoti, & ipsius Iesuitæ supra allatis, manifestò liquet.

343. Eadem vanitate ignorantiam mihi tribuit, qua me ipsum confundam & euertam: vt cum non intelligam, vel terminos vsurpatos in Scholis Philosophorum Theologorumq;: tamen antilogiam in oratione ipsius notârim. An iuste vel malitiosè hæc contra me deblateret, videamus.

344. Obieci illi hanc antilogiam: Iesuita in postremis suæ Thesis verbis negat, quòd in propositionibus: (hic Homo est Filius Dei, & Filius Dei est homo) prædicata subiectis essentialiter attribuantur: & tamen PRIMO MODO PER SE attribui ea scribit. Quod est sibi ipsi contradicere, & modò negatum confestim affirmare. Nam quæ primo modo PER SE dicuntur, essentialiter de suis subiectis enunciantur.

Contradictio
Iesuitæ.

345. Huic Antilogiæ sequentibus nugis mederi conatur: Quod ad primum modum PER SE reuocentur non solùm prædicata, quæ essentialiter dicuntur de subiectis, vt genus de specie, definitio de definito; sed etiam quæ substantialiter vel ὑποστασιακῶς dicantur de subiectis. Substantiam enim non tantùm significare essentiam vel naturam, à qua essentialis prædicatio sumatur, verum etiam personam, à qua substantialis, vel SVBSISTENTIALIS prædicatio sumi possit.

346. Respon. Secundum Aristotelem (l. 1. post. Anal. c. 4.) omnesq; eruditos Dialecticos, primus modus prædicationis PER SE, est essentialis: & secundum hunc modum ea SOLVM dicuntur, quæ sunt de essentia subiecti, eiusq; definitionem ingrediuntur; vt, cum genus vel differentia de specie, aut species de individuo prædicatur. Quia igitur secundum Iesuitam prædicata istarum propositionum primo modo per SE, subiectis attribuuntur: necesse est, vt essentialiter prædicentur, & prædicatum sit de essentia subiecti. Quod Iesuita

negando sibi ipsi contradicit. Aut probet Iesuita, etiam prædicationes non essentielles, & sic singulare & inusitatum istud prædicationis genus, in quo disparata, & toto genere differentia de se inuicem prædicantur, ad hunc modum PER SE pertinere: idq̄ exemplis conuenientibus declaret. Nam prædicata propositionum in præsentia controuersarum, primo modo per se neutiquam conuenire, supra ostendimus.

Contradictio
fol. 20. f. 2.
& 31. f. 2.

347. Non minùs turpi contradictione laborat; quòd postquam cum Bonauentura fassus est: Prædicationem istarum propositionum, vt & ipsam vnionem hypostaticam, esse INUSITATAM; qua de causa etiam secundum Bonauenturam non reducit ad alios modos prædicandi consuetos: nugatur tamen, prædicata illarum, subiectis attribui primo modo per se: qui certè est modus prædicandi consuetus.

Bonauentura.

348. Videamus amplius, quomodo hic Antichristi socius totus à patre mendacij agitetur, vt nihil nisi vanitates, errores, calumnias, mendacia ebulliat. Dixi, Bonauenturam lib. 3. d. 7. q. 1. nobiscum sentire, & Iesuitæ apertè contradicere: Idq̄ disertis verbis Bonauentura docui, scribentis: In propositione, Deus est Homo, SINGULAREM esse modum prædicandi, (quoniam hæc vnio sit singularis) qui ad ALIOS MODOS CONSVETOS NON REDVCATVR. His verbis aio Bonauenturam idem planè quod nos dicere, simulq̄ Iesuitæ contradicere. Is verò hæc verba probationis loco à me posita, et literis maiusculis (vt hic etiam) notata, astute & malitiosè præteriens, & ad præcedentia Autoris verba respiciens, quòd nimirum prædicatio in illis propositionibus, nec formalis,

Mend. 116.

(seu essentialis) nec causalis, nec accidentalis sit: mentitur, mea verba de consensu Bonauenturæ nobiscum, &c. geminum mendacium continere: hancq̄ putidam vanitatem alio impudenti mendacio pal-

Mend. 117.

liare studet, quòd videlicet in censura Thesis 17. asseruerim, istas prædicationes esse causales: quod Bonauentura improbet. Loquitur autem ex Patre suo, in quo veritas non est. Nam nusquam scripsi, has prædicationes sic nudè & simpliciter positas, Deus est Homo, & Homo est Deus, etiologicas esse. Hoc autem dixi contra peruersam & hereticam explicationem

Affert. p. 31.

Iesuitæ; Vocabulum Homo, Orthodoxorum Consensu significare Naturam assumptum quatenus in persona Filij Dei personaliter subsistat. Et hoc sensu in propositione: Homo est Deus: LIMITATIONEM CAUSALEM esse.

349. Audis vanissime homo, me non ipsam propositionem absq̄ determinatione:

tionem positam, sed **LIMITATIONEM**, si illi addatur, causalem appellare: & sic veram causalem propositionem constitui, ita habentem: hic Homo ex substantia B. virginis assumptus, quia in persona Filij Dei personaliter subsistit, est Deus. *Sequentem autem Iesuita falsam & hereticam esse: Homo, id est, persona Filij Dei, quia vel quatenus in Natura humana subsistit, est Deus.*

350. Deinde, Iesuita istius contradictionis turpitudinē hac ludicra ratione eluere conatur: Quia aperte hīc docuerit, prædicationes illas non esse essentielles, nec accidentales; quod Bonaventura probet. *Quis verò non videt, Iesuitam ubiq; veteratoriam exercere? & hīc de capis interrogatum, de alijs astute & malitiosè respondere. Quod ex modo dictis patet.*

Mend. 117.

351 In sequentibus imputat mihi mendacium vigesimum quintum: *Cum tamen nullum de me probare possit. Sed ipse & mentitur: & Bonaventuram, quod prius simpliciter negarat, mox iterum (Iesuita opinione) aliquo modo affirmantem inducit. Nam verba Bonaventurae manifesta & clara sunt, quod talis prædicatio NON REDVCATUR ad ALIOS modos prædicandi CONSVEtos. His per mendacium intrudit Iesuita vocem DIRECTE: quam autor non habet: & Bonaventurā tacitè inconstantia arguit, dum quod simpliciter negavit: Illas prædicationes NON REDVCI, & c. eum non negasse, quod ALIQUO MODO reduci possint, scribit.*

Iesuita falsator.

352, Verba Iesuita hac sunt: *Quamvis verò Bonaventura addiderit: illas prædicationes non reduci DIRECTE ad alios modos prædicandi consuetos: quia non sunt essentielles, & c. non tamen negavit, ALIQUO MODO eò reuocari, posse. Hocq; probare conatur Bonaventura verbis; quae integrè huc referam, vt Lector iudicare possit, an quod simpliciter in verbis prius citatis negavit Bonaventura, in sequentibus aliquo modo retractarit. Ad illud (inquit) quod opponitur: quòd si Homo prædicatur de Deo, aut prædicatur de Deo vniuocè, aut æqui-uocè. Dicendum quòd propriè nec vniuocè nec æqui-uocè. Non æqui-uocè: quia NON EST DIVERSA HOMINIS SIGNIFICATIO (notet hoc Iesuita) secundum quod dicitur de Deo & de Martino. Vniuocè non: quia etsi Homo retinet eandem significationem cum dicitur de Deo & de Petro: alio tamen modo comparatur ad Petrum & Paulum, alio modo ad Deum. Ad Petrum comparatur prædicatione formali & essentiali: ad DEVM verò IN VNIONE personali. Ideo ad neutrum prædictorum modo-*

Fol. 31. f. 2.

Bonau. 1. 3. q. 1.

Vocem Homo in vna & eadem significatione, alio modo de Deo, & alio de Paulo prædicari.

rum possunt illæ duæ prædicationes plenariè reduci: licet aliquid possit ibi reperiri de vno prædictorum modorum, aliquid de alio. Hic si Bonauentura reuocauit, quod priùs absolutè sine vlla determinatione rectè negauit: Ego culpam illius præstare, vel ob id mendaciij à mendaci Iesuita accusari, non debeo.

353. Verùm, conatur ampliùs Consensum suum cum Bonauentura demonstrare; meq; mendaciij conuincere arguentem, quòd Bonauenturæ contradicat. Sic autem legitur apud Bonauenturam in fine quæst. 1. libro 6. dist. allegata: Si verò quærat: in qua materia sit, (ista propositio: Deus est Homo:) vtrum in naturali, remota, vel in contingenti? Dicendum, quòd in materia contingenti: quia prædicatum & subiectum, se habent vt excedentia & excessa: & sic est in proposito. Et licet prædicta propositio reduci habet ad materiam illam (contingentem:) sapit tamen aliquid de materia naturali, propter hoc quòd illæ naturæ, quantum est de se, sunt ad inuicem disparatæ: per gratiam vnionis sunt coniunctæ, & quasi naturales factæ. Hæc Bonauentura.

354. Quamuis autem respectu Naturæ assumptæ contingens fuerit, Deum fieri Hominem: respectu tamen decreti diuini necessarium id fuit. Ipsa verò materia propositionis huius: Deus est Homo, simpliciter est remota, nec naturalis: quia nulla naturali ratione hæc vnio Dei & Hominis facta est: & manet in æternum supernaturalis, diuina & mystica, quam ne angeli quidem acumine intellectus sui comprehendere possunt.

355. Ceterùm istis Bonauenturæ verbis, ex inueterata Sycophantia & mentiendi libidine, addit Iesuita: His piè & Orthodoxè scriptis, non imperitè, vt nugatur Tubingensis, contradicit Iesuitæ Regula: Naturam omnem denominare subiectum vel suppositum, cui vnita est, siue accidentaliter suæ substantialiter. Ego verò non verbis Bonauenturæ, modò citatis, sed prioribus illis, quibus modum prædicandi singularem statuit, qui ad alios modos prædicandi consuetos non reducatur, Iesuitam istà regulam Philosophicam contradicere, rectè verèq; scripsi. Nam in propositione, Deus est Homo: quia etiam confessione Iesuitæ pag. 27. & autoritate Thomæ pag. 28. vox Homo ex parte prædicati Naturam significat: sequitur, quòd non substantialiter (contrà quàm sentit Iesuita) de subiecto dicatur. Quia Natura humana non est de substantia subiecti. i. Dei.

356. Deinde, quia opprobriatione Iesuitæ, nõ tam ingeniosus sum, vt intelligam, quæ acutissimè, scilicet, à Iesuitis disputantur: peto conciliationem sequen-

quentium locorum, cum videlicet Iesuita pag. 27. f. 2. scribit: Vocabulum Homo ex parte prædicati magis obtinere rationem Naturæ. Et ut Thomas (quem ibidem citat) loquitur; Hunc terminum in prædicato positum, teneri formaliter, id est, pro Natura significata. Hæc, quæro, quomodo conueniant cum illis, quæ hoc loco asserit: prædicatum (id est, vo-^{Fol. 32.} cem Homo) dici de subiecto, NON ratione NATURÆ, ut in alijs naturalibus prædicationibus, Petrus est homo, Socrates est homo: sed ratione personæ in tali Natura subsistentis? Nam vocem Homo ex parte prædicati rationem NATURÆ obtinere, non rationem personæ: & tamen non ratione Naturæ, sed ratione personæ in tali natura subsistentis dici & prædicari: et si quid velit Iesuita intelligamus: ea tamen quæ scribit, portenta & monstra esse dicimus, ex monstroso cerebro profecta. Hic enim non obscure statuit: Hominem de Deo substantialiter, seu substantialiter dici, quia significet personam, quæ etiam sit substantia. At ex parte prædicati, rationem personæ obtinere, negauit in præcedentibus. Hæc igitur quomodo conueniant, nec contradictionem implicent; à sanis hominibus intelligi nequit.

357. Eiusdem generis est Thesis vigesima: quæ sicut præcedentes erroribus ^{Contra The- si 20. eiusque Apologiam De sustentatione Hominis in persona Dei Verbi.} scatet. In ea modum ostendere conatur, quo Natura humana à Filio Dei sustentetur. Id autem quocumque modo fiat: rectè nostri contra caluianos et Scholasticos nonnullos defenderunt, quòd mysterium incarnationis, seu vnionis personalis, (sicut quoque propositiones, Deus est Homo: & Homo est Deus:) nullatenus explicentur aut declarentur per verbum sustentandi. Cum enim omnes creatura sustentationem à Filio Dei, & in Filio Dei habeant: necesse est, vnionem Filij Dei cum Homine assumpto alia ratione quàm per sustentationem definiiri. Hæc enim Homo iste à cæteris creaturis non discernitur.

358. Hoc autem modo ab omnibus alijs segregatur, cum dicitur in Deum, (ut symbolum Athanasij habet) hoc est, in communionem realem diuina personæ, Deitatis & gloriæ, assumtus esse.

359. Quod exempla attinet, quibus res controuersa aut dubia declaranda est, licet illa dissimilitudinis aliquid habeant, cum exemplum aut simile non sit idem: in principali tamen, cuius causa adducuntur, conuenire debent. Quod in exemplis Iesuitæ (quibus modum, quo Natura humana in persona Filij Dei sustentetur, declarare nititur) non fit. Nam nec partes essentielles extra totum compositum, nec accidentia extra subiectum, nec ramus extra arborem (siue sua siue alterius speciei) complementum & perfectionem naturalem, aut sub-

sisten-

sistendi rationem absolutam habent, qualem Natura humana Christi extra subsistentiam Verbi habere potuisset.

Leuitas, inconstantia, contra dictio Iesuite.

Mend. 118.

360. *Vbi etiam videre licet distortum, vertiginosum, vel potius insanum Iesuitæ cerebrum. Primum enim hanc dissimilitudinem agnoscit & concedit: ideoq; me ista frustra obijcere dicit, cum non neget intercedere dissimilitudinem aliquam inter sustentationem horum omnium: eò quod Natura humana sit perfecta, cæteræ autem imperfectæ. Et expressè scribit: quod Accidentia sine subiectis existere non possint. Statim verò mutatus, & vanitate sua raptus, seipsum falsitatis falso arguit, subiiciens: Quamquam falsum est, in hoc quoq; dissimilia esse exempla. Nam ramum ab arbore resectum, planum est habere suam sustentationem & hypostasim. Anima quoque rationalis, licet sit pars essentialis compositi, potest existere sine illo: & corpus Christi existit sine composito in triduo mortis: imò quodlibet corpus vel materia potest existere per diuinam potentiam sine omni forma. ACCIDENTIA quoq; EXISTERE possunt SINE SUBIECTO: & reuera existunt in Eucharistia, licet id Gerlachius non credat.*

361. *Hic nemo amplius miretur, Iesuitam in diuinis mysterijs talpa magis cæcum esse; cum in naturalibus, & sub sensum cadentibus rebus, ridiculus & absurdus sit. Quis enim vel sensu communi præditus non nouit, Ramum ab arbore resectum sustentatione & hypostasi destitui? Cum vtrumq; non nisi in arbore sortiatur. Estq; in physicis absurdissimum, quod partes integrales extra totum compositum vel sustentationem vel hypostasim habeant.*

Anima hominis contra naturam primæ uam à corpore per mortem separatur.

362. *Anima hominis tanquam immortalis, quamuis extra corpus existere possit: sine illo tamen complementum suum non habet. Creatæ enim est, ut sit forma corporis, & in illo existat. Per peccatum autem contra naturam ipsius primæ uam factum est, ut per mortem à corpore separetur, & extra illud ad resurrectionem vsq; corporis existat. Corpus verò Christi triduo mortis à corruptione conseruatum fuit virtute Dei Verbi; qua ei personaliter in ipsa quoque morte vnitus mansit.*

363. *Quod autem accidentia sine subiecto existere possint, & reuera existant in Eucharistia: ut Scriptura verbo caret, ita fidem ei derogamus. Hoc enim manifestam contradictionem implicat; esse accidens; & existere sine subiecto, seu non accidere alij. Contradictio autem, (si Gregorio de Valentia, socio suo fidem habet Busæus) est eiusmodi res, quæ*

quæ per NULLAM POTENTIAM, ETIAM DIVINAM & ^{In Defens.} supernaturalem, ALIQUO MODO constare potest. ^{pag. 80. Con-} Quomodo er- ^{tradictio qua-}
 go in Eucharistia ACCIDENTIA sine subiecto esse, à vobis dicuntur? Quod ^{lis res.}
 si accidentia sine subiecto existant: non amplius accidentia, sed substantiæ erunt:
 quarum proprium est, non esse in subiecto: & hoc ipso etiam ab accidentibus
 distinguuntur.

364. De vanissimo commento, quod accidentia panis & vini in S. Cena
 sine subiectis existant; dabitur differendi locus in Cap. sequenti: ubi etiam de
 transsubstantiatione agetur.

365. Sed hic alia contradictio occurrit. Scripsit pag. 16. Apolog. Hypo-
 stasin significare suppositum vel subsistentiam, vel substantiam. ^{Contradictio.}
 Quæ autem subitent vel supposita sint, PROPRIE habere ratio-
 nem fundamenti, molem incumbentem sustentantis. Quod certè
 fit actu secundo. Hoc dico pugnare cum illo, quod iam Thesi 20. scribit: Huma-
 nam Naturam à Filio Dei sustentari, non esse, eam sustentari in
 actu secundo, sicut domus à fundamentis.

366. Præterea, licet rectè dicatur, Partes integrales à toto composito su-
 stentari: id tamen de partibus essentialibus propriè non dicitur. V. g. corpus non
 dicitur à toto seu composito sustentari, cum Homo nihil aliud sit quàm corpus
 & anima Rationalis.

367. Falsum quoque est, quod qualibet Natura (excepta Humanitate
 Christi) à suo supposito vel persona sustentetur: Cum qualibet natura creata & ^{Natura singu-}
 singularis, seipsa, in se, & per se subsistat: nec à suo supposito, tanquam ab alio ^{laris seipsa,}
 sustentetur; quia essentialiter non differunt, ut illa quorum vnum ab alio susten- ^{per se & in se}
 tari dicitur. Hinc Gabriel lib. 3. d. 7. ar. 3. Corol. 2. Humana natura sibi ^{subsistit.}
 derelicta est Homo, &c. subsistit enim seipsa. Et in quouis homine Na-
 tura humana seipsa personatur partium compositione, seu Naturarum duarum
 coalitu: sitq; coniunctione partium, persona, quæ est compositum ex corpore &
 anima rationali.

368. Est & hoc falsum & absurdum: quod sicut materia accessio- ^{Absurditas.}
 ne formæ, ita Natura beneficio personæ ultimam accipiat sub-
 stantialem subsistendi perfectionem & complementum. Nam ma-
 teria & forma differunt essentia: nec alterum sine altero perfectionem suam
 obtinet. Natura autem & persona in rebus creatis essentia idem sunt: nec perso- ^{Natura & per-}
 na, ut quiddam diuersum & essentia differens, accedit Naturæ, ut ei substan- ^{sona essentia}
 tialem et ultimam perfectionem largiatur, quemadmodum forma materia: sed ^{idem.}
 M vt

Thomas par. 3
q. 4. ar. 2.

vt dictū, Natura humana in quouis homine, compositione et coniunctione partium, fit persona & seipsā subsistit, non accessione alterius à quo perficiatur, & substantiam accipiat. Nec Humanitas Christi accessione personæ diuinæ substantiale aut naturale complementum accepit: sed ipsa in se ratione substantiæ perfecta & completa, supernaturaliter perfecta est, per assumptionem in diuinam personam. Qua de causa rectè scripsit Thomas, Naturæ assumptæ non deesse propriam personalitatem propter defectum alicuius, quod ad perfectionem Naturæ humanæ pertineat. Ergo nec substantiale complementum, quod ei defuisset, sed supra naturam et substantiam suam perfectionem diuinam accepit, accessione & communicatione diuinæ personæ.

369. Conatur quidem Iesuita in Apolog. mihi mendacium affricare. At verba eius modò recitata sunt plana: quæ dictam absurditatem exprimunt. Fabulatur etiam, se in Thesi 22. apertè docuisse: Naturam humanam Christi in se, & in essentia sua fuisse perfectam, cum à Verbo assumpta est: destitutam tamen cum assumeretur propriā subsistentia. At nihil horum in ista Thesi continetur. Et Thesi 24. non obscure id negat, cum ita scribit: Sicut accidentia cursu & via naturæ non possunt existere extra subiectum: ita multò minus NATURA esse PERFECTA potest, SINE sua NATURALI subsistentia.

370. Sed concedamus, eum alibi id docuisse: falsum tamen est, quod Natura humana, seu Homo assumptus SUBSTANTIALE subsistendi complementum à persona Verbi acceperit. Hoc autem verum est: quod supernaturalem & supersubstantialem subsistendi perfectionem à Filio Dei sortitus sit; per quam naturalis ipsius subsistentia impedita est. Quamprimum enim fieri aut esse capit Natura humana: à persona Dei Verbi assumpta est, vt propria & naturali subsistentia existere non potuerit. Et, si ad momentum extra personam Verbi extitisset: propria personalitate, sine accessione vllius substantialis complementi substitisset.

Mend. 119. 371. Deniq; tam artificiosus est Iesuita in mendacijs cudendis, vt etiam sine materia oblata fabricari ea possit. Fingit, me cōminisci, quòd doceat; Naturam humanam Christi, si à diuina persona assumpta non fuisset, propriam subsistentiam non habituram fuisse. Cuius tamen nullius vestigium vel inditium in mea assertione exstat: Nec illud ex vllis Iesuitæ verbis (quod mentitur) extruxi: Sed hoc solum refellere instituti mei fuit, quod statuit: Naturam humanam Christi, beneficio personæ diuinæ, substantialem subsistendi perfectionem accepisse. Huius gratia adduxi verba

verba Thomæ Aquī. par. 3. q. 4. art. 2. scribentis : Naturæ assumptæ non Thomas Aquī.
 deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod AD
 PERFECTIÖNEM Humanæ Naturæ pertineat: sed propter ad-
 ditionem alicuius quod est SVPER NATVRAM humanā, quod
 est vnio ad diuinā personam. Quib. verbis id vnum ostendere volui: non
 aliquam perfectionem, quæ ad Naturæ humanæ SVBSTANTIÄ-
 LE subsistendi complementum pertineat, ex vnione personali
 cum persona diuina illi accessisse: Sed Naturam humanam à persona Fi-
 lij Dei accepisse subsistentiam, seu modum subsistendi DVINVM, substantia-
 lem (vt loquitur Iesuita) & naturalem subsistendi rationem longè transscen-
 dentem. Nec vnquam in mentem mihi venit, vt, quod comminiscitur, ei
 adscriberem.

372. Huic mēdacio homo mendacijs pruriens, aliud annectit: perridicu- Mend. 120.
 lum esse, quod istud commentum meum, (Iesuitam videl. docere, Na-
 turam humanam Christi si à persona diuina assumpta non fuisset, propriam sub-
 sistentiam non fuisse habituram:) tum hīc, tum alibi refellam sententijs
 S. Thomæ Aquī. & aliorum Scholasticorum non intellectis. At ho-
 mo iste non tam ridendus quàm conspuendus est, quod meretricia fronte, absq;
 omni pudore mendacia ex mendacijs petulanter fingit. Nam nec hīc nec alibi
 negatiuam istam refellere institui: Cū nemo vnquam (quod sciam) oblatum
 mihi sit, qui istud asseruerit: nec Iesuita vllō verbo Assertionis meæ suum menda-
 cium probare potest. Pudeat ergo tandem vanissimum impostorem proiectissi-
 mæ suæ impudentiæ.

373. Putida ipsius nugamenta: quòd Scholasticorum sententias Cumulus
mendacio-
rum.
 non intelligamus: quòd earum citatione velimus videri magis
 versati in illorū scriptis quàm Iesuitæ, qui nocturna diurnaq; ma-
 nu illos versent & quotidie in Scholis explicent: quod ea ne à li-
 mine quidē dignemur salutare: hac dico responsione indigna sunt. Cete-
 rùm, delicias Scholasticorum, (quæ non rarò sunt ociosæ, spinosæ & friuolæ di-
 sputationes, de rebus in Ecclesia Christi nec vtilibus nec necessarijs) Iesuitis non
 inuiti relinquimus, cū alio pabulo digni non sint, fastidientes nimirum & re-
 pellentes pabulum Verbi diuini. Nobis autem in lege & Verbo Domini voluptas
 est, & secundum admonitionem Spiritus S. in Verbo Domini meditamur die ac
 nocte: scientes, hoc vnum sapientiam præstare paruulis: & extra illud, sapienti-
 am celestem ac salutiferam, querendam non esse. Iesuitæ verò, dum mysteria di-
 uina Regulis Philosophicis astringunt; seipsos & alios stultitia sua deludunt &

dementant, vt in reprobum sensum dati & excacati, errores suos turpissimos agnoscere, aut etiam euidentiâ veritatis conuicti, locum illi dare non possint.

374. Versatus sum hactenus, Christiane Lector, in foetidissimo sterquilinio Iesuitæ: qui, vt in primo et hoc secundo capite, ita in toto Apologetico Disputationis suæ pudendæ & execrandæ, sentinam excrementorum diabolicorum nobis exhibet, putidas nimirum nugas, futiles Sophisticationes, malitiosas Sycophantias, impudentia mendacia & calumnias, detestandos errores & blasphemias contra Christum: vt merito preciosissimi temporis penitere debeat eum, qui in hoc Augiæ stabulo perpurgando laborat.

375. Hæc tamen molestia deuoranda, & foetor iste, gratia studiosorum veritatis odorandus fuit: vt illis demonstraretur, quanta cecitate, amentia, absurditate, & impietate, hoc nouum Monachorum Antichristianorum genus, (quod opinione sanctitatis & eruditionis cæteris omnibus se præfert) in diuinis mysterijs deprauandis, præsertim in diuina maiestate Christi Hominis, impiè & blasphemè conuellanda, versetur; seq̄ ipsos & alios seducendo perdant: quo præstigias ipsorum diabolicas cauere, S. Literas impensius amare, ex illis veritatem cognoscere, & salutem adipisci discant.

Sedenti in Throno & Agno (cuius honorem contra Antiqui serpentis progeniem tuemur) sit Laus
& gratiarum actio,

A M E N.

E R R A T A.

- Theſ. 14. l. penul. pro, [sermone,] lege Romana.
 Th. 92. l. 2. primum.
 Th. 98. l. vlt. posset.
 Th. 111. l. antep. commutatum.
 Th. 124. l. penul. possumus.
 Th. 149. l. antep. secundum.
 Th. 219. l. vlt. veniet.
 Th. 261. l. 1. Deus est homo.
 Th. 273. l. 4. Viderur.
 Th. 321. l. antep. confirmaui.
 Th. 340. l. 3. per summam van. arguendi, &c.
 Th. 348. l. antep. assumtam.
 Th. 355. l. 5. sine subst.

AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





10. 25

DE PERSONA CHRISTI
STI SALVATORIS
Disputatio II.
ADVERSUS APO-
LOGETICVM IOANNIS BVSAEI, IE-
SVITAE MOGUNTINI: CONTINENS RE-
futationem capitis secundi: In quo doctrinae Catholicae de Per-
sona Christi explicationem cum falso promittit, tum eius
defensionem pessime per-
tractat.

SCRIPTA A
STEPHANO GERLACHIO, D. ET
*Professore Theologiae in Academia Tu-
bingensi.*

TUBINGAE
Excudebat Georgius Gruppenbachius,
ANNO M. D. XCV.

10

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres
B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-453400-p0097-2

DFG